A villæ: ita quòd omnes rustici & coloni dictæ villæ recolligunt omnes fructus & redditus domini, & portant illos ad domum dominicalem, id est ipsius domini, existentem in dicta villa: & illa domus appellatur curia seu curtis domini: ideò si dominus consideret in feudum unum mansum de dicta villa, velut Vasallus haberet annuatim certum redditum de dicta villa, curte, & omnes alii fructus essent domini, tunc ille Vasallus dicitur in curte, & est feudum in curte, ponit *idem Alvar, in proœmio feu. in 4. divisio.* Feudum extra curtem est, quando dominus non habet dominium totius villæ, sed possessiones pro majori parte sunt rusticorum, vel aliorum, & dominus modicum habet, puta duas vel tres possessiones: & non est necesse, quòd teneat ibi domum dominicalem: nam si dictas possessiones infeudaret, diceretur habere vasallum extra curtem, *cap. uno*, §. *pen. & §. quibus mo, feu. amit.*

Vigesima divisio feudorum. Feudum aliud est advocatiæ, aliud de tabula seu quaternata. Feudum advocatiæ appellatur B quando est aliquis advocatus fortè fisci, & illi advocatiæ est feudum annexum pro suis stipendiis exsolvendis: & idem in judicatura, vel procuratoria, notaria vel alio officio, cui feudum sit annexum: probantur prædicta *in c, uno*, §. *quicumque advocatiam, de pace tenenda, & ejus violat.* & idem puto in feudo scutiferorum, *secundum Alvar. in proœmio feudor. in 18. divisi, & in tit. de feudo guardiæ: & Iaf. in col. pe. in prælud. feudor.*

Feudum de tabula seu quaternata est, quando spectat ad collationem regis vel domini: & illa sunt scripta in quaternis cameræ, sicut in camera computorum Parisiis, declarat *Andr. de Iser. in c. 1. de contr. invest. apud pares term. Alva. in 21. divisio.*

Fidelis, Fidelitas.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

FIdelis, pro constanti, quique præstet reverà, quod promisit. 2. *Thess.* 5. 24. Deus πιστὸς, fidelis dicitur, i.e. verax, benignissimè & firmissimè stans promissis gratuitis erga suos. A C fide ita dicitur: quæ activè est assensus & affectio animi, qua quis fidit: passivè verò etiam illa, ob quam alicui fiditur. Igitur fides hic, Dictorum & Conventorum constantia est, & veritas. Ita vocata, quia fiat quod promittitur, auctore *Cicer. lib. 1. Offic.* Hinc fidelis, qui datam fidem servat: & Fidelitas τὸ πιστὸν.

Multi homines misericordes vocantur: Virum autem fidelem quis inveniat? *Prov.* 20.

Non duplices sermonem audius de revelatione sermonis absconditi, & verè sine confusione: & invenies gratiam in conspectu omnium hominum. 41.

* EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Servus Abrahæ Eliezer fideliter egit nuncium à domino suo sibi commissum, quando ivit pro Rebecca ad domum Bathuelis. *Gen.* 24. Fideliter servivit Jacob avunculo suo Laban, quando gregem ipsius pascendo, die nocteque æstu urebatur & gelu. *Gen.* 31. Joseph erga dominum suum fideliter se habuit, qui uxorem ejus tangere noluit. *Gen.* 39. Idem erga Pharaonem in consilio quod ei dedit, & in ministerio quod ei exhibuit, scilicet Joseph. *Genes.* 41. Rahab meretrix fideliter egit cum exploratoribus, quos miserat Josue, & ipse Jo- D sue egit postea fideliter cum eadem. *Josue* 26. Quamvis Gabaonitæ fefellissent Josue & filios Israel, tamen juramenta & pacta eis servaverunt, & eos contra hostes postea fideliter adjuverunt. *Josue 9. & 10.*

Fideliter indicavit David Jonathas iram patris sui, & ipsum, quantum potuit, excusavit, & postea confortavit. 1. *Reg.* 20. Occiso patre Abjathar occasione David, Ego, inquit David, sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum: ne timeas: si quæsiveris animam meam, quæret tuam, mecumque servaberis. 1. *Reg.* 22.

Noluit David percutere dominum suum, licèt malum & persequentem eum, cùm tamen si voluisset, bis eum percutere potuisset. 1. *Reg.* 20. & 26.

Magnum fidelitatis signum fuit, licèt indiscretè egerit armiger Saul, quando videns dominum suum esse mortuum, noluit ultra vivere, sed irruit super gladium suum, & mortuus est cum eo. Quid ergo facere debemus pro Domino, pro nobis crucifixo? 1. *Reg.* 31.

Viri Jabes Galaad fideliter se habuerunt ad Saul dominum suum, licèt malum, reverenter sepelientes eum. 1. *Reg.* 31.

Urias Ethæus nolebat esse in deliciis, quamdiu Joab dominus suus laborabat in exercitu. 2. *Reg.* 11.

Instante captione civitatis Rabbath, quam diù obsederat E Joab, misit ad David, ut veniret, & illam caperet, ut domino suo, non sibi, honor victoriæ deferretur. 2. *Reg.* 12. Cùm fugeret David à facie Absalon, dixit illi Ethai: Vivit Dominus, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 2. *Reg.* 15.

Noluerunt viri David, quòd ipse exiret cum eis ad prælium dicentes: Tu unus pro decem millibus computaris. In quo apparuit, quòd fideliter diligebant eum. 2. *Reg.* 18. Et infrà c. 21. Jam non egredieris nobiscum ad prælium, ne extinguas lucernam in Israel. 2. *Reg.* 21.

Separatus omnis Israel à David, secutusque est Sebam filium Bochri. Viri autem Juda adhæserunt regi suo tanquam fideles, videlicet, constantes, 2. *Reg.* 20.

Tres viri robustissimi fideliter defenderunt David pugnantem contra Philisthiim, & attulerunt ei de aqua cisternæ Bethlehem, quam cum desiderio magno petierat. 2. *Reg.* 23. 1. *Par.* 11.

Valdè fideliter egit Jojada Pontifex cum Joas filio Joram regis Juda, licèt malè recognoverit postea. 4. *Reg.* 11.

Onias summus Pontifex, & alii sacerdotes laboraverunt F fideliter, viduarum & pupillorum deposita custodia. 2. *Mac.* 3.

Commendat Dominus fidelitatem servorum, qui multiplicaverunt sibi tradita. *Matth.* 25.

Cum multa fidelitate procurabat Paulus fieri collectas pro necessitatibus pauperum de Judæa. *Luc.* 19. 2. *Cor.* 9. Fideles & affectuosas litteras misit Paulus Philemoni pro Onesimo servo ejus fugitivo. *Phile.* 1. Discretum & fidele consilium dederunt Paulo quidam de Asiæ principibus, rogantes eum, ne se daret in theatrum. *Act.* 19.

HISTORICA.

FIDEM DARE.

QUI QUIBUS.

Subditi Magistratui.

☞ *Ex sequentibus Epititiis hùc quædam.*

Milites Duci, Imperatori.

Milites auctorati dicuntur, id est, stipendio & sacramento astricti. Ut enim in auctione nummus datus rem auctoris facit: ita hìc merces militi promissa.

Hostis Hosti.

Apud Romanos constitutum erat, ut nunquam cum hoste G armato conditionem fœderis acciperent, neque citra senatus aut populi jussum societates, aut fœdera inirent, ni prius omnia divina & humana tradidissent, & præsidium accepissent: fœdera in templo Capitolini Jovis columna aut æneis tabulis insculpi curabant, ut perpetua monumenta extarent: nonnunquam in fastos & annales referebant. *Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 9.*

Quo tempore cum Tegeatis componebant Lacedæmonii pacem, pacta interposuerunt, columnamque Alphæo communem imposuerunt: cui inter cætera inscriptum fuit, ut Messenios regione exigerent, neque liceret chrestos facere: quod Aristoteles exponens, ait, non licere Tegeatis, quum Lacedæmoniorum studiosi essent, in eorum gratiam interficere Messenios. *Plutarchus in quæst. Græcis.*

PER QUOS.

Apud Athenienses in usu fuit, ut jusjurandum quod publicè in fœderibus præstabatur, postquam per senatum exhibitum erat, quo sanctius foret, Quæstores: apud Argos verò, Prætores confirment. Iidem Athenienses in fœdere percu- H tiendo mittebant vates Hiceteria, hoc est, oleæ ramo coronatos, quem εἰρεσιώνην appellabant, cum vitta lanea: quo prætenso, ab omni sevitia hostili & violenta incursione tuti erant. *Alex. lib. 5. cap. 3. ex interprete Equitum Aristophanis.*

QUOMODO.

Simplici Sponsione.

Christienus I. Danorum rex an. 1460. sacramenta solenni ritu ab omnibus accepturus, venit Hamburgum, antiquissimam Stormariæ civitatem, quæ Comitibus Holsatiæ olim parruerat. De homagio quidem nulla mora: sed de præstando juramento fit dubitatio. Ostendebant cives regiæ majestati veterem observantiam, eamque chartis privilegiorum astruebant: orantes, ut regia majestas illis adquiesceret rebus, quibus omnes sui in comitatu patres ac prædecessores acquievissent. Disceptatum est desuper longa verborum altercatione; sed bonis civium allegationibus cessit rex moderatissimus, permittens veterem

A veterem urbis probatamque diu consuetudinem. *Cranzius l. 8. Daniæ, cap. 29. & lib. 12. Vandal. cap. 26.*

Sponsione cum juramento.

☞ *Vide Tit. Juramenti, & locum Veritatis.*

Hannemanus dynasta Lichtenbergicus captus à filio Henrico & Emichone Leyningio, quòd accepta Lyla concubina, uxorem propriam cum liberis domo expulisset, juramento confirmare filio coactus est, quòd non velit ipsum ob hanc captivitatem exhæredare. *H. Henninges in Geneal.*

Dextra juncta.

Hircanos Medosque junctis manibus dextris inire fœdera, & firmare fidem solitos, legimus *apud Alexandrum ab Alexandro l. 5. c. 3.*

Parthi apud altaria complexis dextris, tanquam diis testibus, faciebant pacta. *Alexand. l. 5. c. 3.*

Contactu manus, pedisve.

Evenus regum primus fuit, qui fidei servandæ juramentum à Scotis exegit. Mansit institutum multa per secula posteris. Qui tribubus præerant, eandem consuetudinem sequuti, con- B tribulium manu aut pede tacto, dum creabantur, fidem dare cogebant. Neque is ritus hoc ævo abolitus. Qui in montibus agunt, simul cum Hebridianis in rectore deligendo (quem tribus vocant Capitancum) easdem penè cæremonias observant. Quibus suo more peractis, proximis nundinis per præconem edicunt sub capitis pœna, ne quis ex ea tribu novum ducem alio quàm trito vetustoque tribus rectoris nomine deinceps appellent; ubicunque verò id audiverit, amoto capitis tegmine, flexoque poplite, non secùs ac si sacris interesset, revereatur. Hinc qui montanis in locis Hebridibusque sedes habent, per manum, pedem, nomenve sui ducis, in contractibus jurare consueverunt. *H. Boethius libro 2.*

Vinculo.

Mos est, inquit Tacitus, Armeniorum regibus implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere: mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. In fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. *Celius lib. 17. c. 12. A. L.* Itaque Radamistus Pharsamanis Hyberiæ regis F. simulata C cum patre inimicitia, ad Mithridatem Armeniæ regem, quem pater unicè perditum cupiebat, fugiens, illius quoque filia in uxorem ducta, cùm ad fœdus æternum stabiliendum gentis more amborum pollices colligandi essent, ut haustum ex eis sanguinem uterque gustaret: is, cui vinciendi munus erat injunctum, fingens ad terram funes concidisse, illis Mithridatis pedes implicuit, atque ita eum cum uxore & liberis cepit. *Fulgosus lib. 9. cap. 6.*

Ritus jurandi in verba Regum Neapolitanorum, is est: Rex medius sedet, assident juxta primi ordinis optimates. Ad pedes regis genibus innitens à dextra procumbit Epistolarum magister, qui nunc Secretarius dicitur; sinistra Antistes, Euangeliorum libros regio in sinu adstratos tenens. Horum medius genibus & ipse illis invisus procumbit, qui in verba jurat, utraque manu libris adapertis imposita. Ibi Epistol. magister verba præit, quæ juraturus in verba sequitur. Exempli causa: Ursus ego Ursinus, Nolæ & Atripaldi Comes, Asculi, Lauri, ac Forini dominus, illorumque & agrorum & finium, civium atque popularium, tibi Ferdinando regi, liberisque, successoribusque in regno Neapolitano tuis polliceor, promitto, D spondeo pro liberis, successoribusque, in hisce item urbibus, oppidis, agris, finibusque meis, fidelem meque illosque utique futuros, tuisque illorumque imperiis ubique, meque illosque parituros, atque imperata facturos, cum hisce urbibus, oppidis, agris, finibus, popularibusque, perpetua cum constantia & fide. Si quid verò adversus teve illosve parari fraudis, dolive, insidiarumve audiero, sciero, compertumve, significatumve habuero, indicaturum illud evestigiò, ac facturum palam tibique illisque, officia demum obiturum, meque illosque omnia domi forisque, pace belloque adversum quoscunque, ac pro imperio, quæ probi ac fidelis subjecti jure, lege, natura, obeunda ac præstanda sunt regi, Deumque his Opt. Maximum testem invoco, perque sacrosancta hæc Euangelia, sciens volens libensque verbis conceptis juro. Atque his dictis, manus ipse è libris sustulit. Tum rex Ursi manus utrisque digitis pollicibus apprehensis, suosque intra pollices iis inserens, devinxit illos suis, statuitque super Euangelia. Hic rursum Ursus magistro præeunte verba: Ego me, inquit, cum liberis, successoribusque meis, Ferdinandi regis mei, domini, libero- E rum ac successorum ejus, Ligium hominem statuo, dedicoque, eumque me hic sisto. Hæc ter ubi dixit, regios osculatus est pollices, rexque ore suo illius os excepit, moxque comiter appellatum dimisit. Hic est usitatus jurandi mos in verba regum Neapolitanorum; quique Ligios illorum se faciunt, ipsum hunc servant dicti inde Ligii, quòd ligatis reges pollicibus, illos fidei imperiisque sic suis vinciant, atque obnoxios statuant: *lib. 2. belli Neapolitani.*

Sanguine extracto.

Medi atque Lydi fœdera ineunt, cùm alia Græcorum ritu, tum brachia incidendo, ac mutuum sanguinem deligendo. *Herodotus l. 1.*

Scythæ infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem, qui feriunt fœdus, cultello aut gladio aliquantulum corporis incidentes. Deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, gladium. Hæc ubi fecerunt, sese multis verbis devovent: posteà vinum epotant, non modò ii qui fœdus fecerunt, sed etiam comites hi, qui sunt maximæ dignitatis. *Herodotus lib. 4.* Sic Salustius scribit, Catilinam humani corporis sanguinem vino permistum in pateris circumtulisse sociis conjurationis, & eos sigillatim degustasse, quò inter se magis fidi forent. Atque hodie illud idem fit inter eos, qui ad aliquod insigne scelus faciendum conspirant. *Polyd. l. 15. de Inventoribus.* F

Princeps Saracenorum & Byzantinus Imperator, amicitiam inter se constituentes, uterque vena in pectore incisa, suum alteri sanguinem propinaverunt. *Nicetas lib. 2. de Imperio Isaacii Angeli.*

Hispani ductu Ferdinandi Magellani per fretum Antarcticum ad Moluccas penetrantes, dum Moluccarum detegunt insulas, cum Calamaro rege Calemandi insulæ societatem inierunt, more gentis, sanguinem de brachio sinistro mittentes, coque os & linguam illinentes. *Petrus Cieza Tomo 2. Historiarum Peru. cap. 94.*

Icturi fœdus veteres Dani, vestigia sua mutui sanguinis aspersione perfundere consuevetant, amicitiæ pignus alterni cruoris commercio firmaturi. Eo pacto Liserus pirata & Habingus Grami Danorum regis F. exul arctissimis societatis vinculis colligati, Lokero Curetum tyranno bellum denunciarunt. *Saxo l. 1.*

Propinatione, Compotatione. G

Antiqui Reges epulum publicè præbentes, vinum phialis aureis aut argenteis temperatum à pincernis, accipiebant ipsi: eoque libato, quòd magni amoris signum esset, etiam calicem cui volebant, dabant. Id propinare dicebatur: & dies qua id fiebat, Philotesia, nomine ab amicitia ducto. *Suidas.*

Indis maxima societas erat, de Tantali aqua potare, de qua si qui unà bibissent, ea obtestatione tenebantur, ut ejusdem fati & fortunæ fœdus inisse censerentur. *Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 3.*

Fidei dandæ consuetudo hæc est apud Nasamones Pœnos. De manu alterius uterque sumpto invicem poculo bibit. Quod si nihil humoris habuerint, sumptum è terra cinerem lingunt. *Herodotus l. 4.*

Thraces & Ægyptii è cornibus boum vina libare alterna vice, conciliati amoris & mansuræ fidei certissima pignora censuere: quippè veteribus cornua boum, poculorum præstabant vicem. *Alexander l. 5. c. 3.*

Hasta data.

Græci, qui cum Cyro sensérant, Babylone redeuntes, intra fines Macronum ingressi, fœdus cum illis composuere: ut- H que fidei pignus certum utrisque extaret, hastam ab illis de more Barbaricam acceperunt, Græcam tradiderunt. Hæc enim sibi à majoribus Barbari dicebant instituta ad fœdus jungendum tradita, certissimaque ea esse fidei mansuræ signa. *Diodorus l. 4.*

Gladio.

Romani milites in Gallia Julianum Augustum consalutarant. Jussi proinde universi in nomen ejus jurare solemniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub execrationibus diris, verbis juravere conceptis, omnes pro eo casus, quo ad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos. *Marcell. libro 21.*

Pannonii olim pacem cum hoste facturi, eductis mucronibus, quos pro Numine colebant, jurabant, in amicitia se permansuros. *Aventinus libr. 2. Annalium Bojorum. A. D.*

Joannes Albertus Polonorum rex anno 1051. cum Tartaris fœdus icit multa cæremonia, & jurejurando interposito.

A Quod quidem Tartari more suo dederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecantes ei qui fœdus violasset. *Cromerus lib.* 30.

Clava.

Mazza apud Vallesianos seditionis popularis symbolum est & signum; clava lignea, monstrosa facie insignis: quicunque nomen dat seditioni, clavum, quo equorum soleæ suffiguntur, in eam adigit; & hoc veluti sanctissimo jurejurando Mazzarorum libidini sese in omnibus obsecundaturum pollicetur, Conjurati Mazzaphorum secuti, inimicorum domos petunt, Mazzam ante ædes statuunt. Ea posita, liberum est cuivis, tanquam proscriptorum bona rapere, auferre, absumere. Hoc genus censuræ rusticæ, quo improbos & noxios cives patriæ punire, & in exilium agere solent, anno Domini 1414. primùm inventum est. *Stumpfius libr.* 11. *Helvet.*

Bove.

De septem Argiudrum ducibus, Polynicem ab Eteocle fratre Thebis pulsum reducturis, Æschylus sic scribit:

Ἄνδρες δ' ἑπτὰ θύραι λοχαγέται,
B Ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος,
Καὶ διγλώσσοντες χρὼ ταυρῆν φόνῳ,
Ἄρευ, Ἐνυὼ, καὶ δεινάμωρον φόβον
Ὠρκωμότησαν, ἢ πόλει κατασκαφὰς
Θεῖναι λαπάξαι δῶν Καδμείων βίᾳ,
Ἢ γῆν δανόντες φῶδε φυράσαι φόνῳ.

Viri septem feroces ductores cohortum, taurum mactantes in scutum ferro compactum, & attingentes manu bovinum sanguinem, Martem & Bellonam, & sanguine gaudentem Metum, sanctè jurarunt, aut urbe eversa perdituros se oppidum Cadmeorum vi, aut terram mortuos priùs commixturos sanguine.

Ἐπὶ βούσης ἐκαθέζετο, id est, in tergore bovis desedit, id est supplex implorat auxilia. Natum adagium à consuetudine vernacula Scythis, quemadmodum testatur Lucianus in Toxaride. Nam apud hos si quis fortè læsus esset, neque supperet ulciscendi facultas, immolato bove, carnes minutim sectas coquebat, ipse in tergore humi strato sedebat, manibus in tergum reductis. Idque maximum supplicandi genus apud illos habebatur. Accedebat quicunque vellet opitulari, & carnium portione gustata, dextroque pede tergori imposito, pollicebatur pro viribus auxilio futurum. Atque hoc fœdus apud Scythas sanctissimum habebatur. *Erasmus in Adagiis.*

Βοῦς ὁ Μολοσσῶν, Bos Molossorum. De iis qui multis negotiis implicantur, & distrahuntur; nam Molossi fœdera inituri, bovem in multa minuta frusta dissecabant. *Suidas.*

Equos.

E Sparta in Arcadiam proficiscentibus, in itinere est Equi monumentum: quo in loco Tyndareus dicitur convocatis Helenæ filiæ procis, super excæti equi testibus jusjurandum concepisse, cuicumque Helena desponsaretur, armis se illius injuriam, si à quoquam nuptiæ illæ violatæ fuissent, vindicaturos. Cùm hoc illos sacramento adegisset, equum eo ipso in loco defodit. *Pausanias in Laconicis.*

Apro.

Vicus Apri sepulchrum dictus in Stenyclero Messenici agri regione, nomen ex eo habet, quòd Hercules eo in loco super apri testibus fœdus cum Nelei liberis, fide ultrò citroque data & accepta, percussit, sacris ritè à vatibus utrimque factis. *Pausanias in Messenicis.*

D Græci principes pro repetenda Helena consilium habituri, Argis convenerant. Chalcas vates, filius Thestoris, porcum marem in medium forum afferri jussit, quem in duas partes dissectum, orienti occidentique divisit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire jussit. Deinde mucronibus sanguine ejus oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis, inimicitias sibi cum Priamo per legionem confirmarunt; neque priùs bellum se deserturos, quàm Illium atque omne regnum evertissent. Queis perfectis, Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi conciliarunt. *Dictys l.* 1. *de bello Trojano.*

Igne.

Zofalensium Æthiopum rex singulis annis mittit ex suis domesticis & familiaribus, qui ignem novum Principibus & Regibus, qui in illius ditione sunt, nomine ipsius Regis impertiat, atque inde reliquis hominibus distribuatur. Quod quidem ad hunc modum fit. Ubi legatus ad domum cujuslvis Principis accedit, ignis extinguitur. Deinde rursus à legato novus ignis excitatur: tunc omnes eò commeant, ut ignem E inde in domos suas inferant. Hoc qui facere recusat, proditor atque rebellis existimatur, & tanquam majestatis reus, extremo supplicio punitur: & si opus ita fuerit, exercitus in illum comparatur, ut hominem fidei desertorem multis exercitatum suppliciis interimat. *Osorius lib.* 4. *rerum Emm.*

Mydro.

Apud Græcos mos erat, ut jurantes mydrum tenerent (est autem eo nomine ignitum ferrum) fœdusque tamdiù perseverare comprecarentur, quamdiù latuisset mydrus, quem mox in mare dejiciebant. Meminit in Antigone Sophocles, & Herodotus de Phocensibus. Sed & Callimachus:

Φοινίον μάχειρ ἐ ῥῆρ μύγας εἰν ἁλὶ μύδρῳ.

Scribit *Plutarchus*, Aristidem, quum pro Atheniensibus Græcos sacramento adegisset, inter imprecationes, mydros in mare conjecisse: adjurantem, ut ita extinguerentur cum omni stirpe & gente, qui contra fœdus irent, velut ignitum illud ferrum aqua.

Lapide.

Arabes servant fidem inter homines ut qui maximè, quàm hunc in modum dant. Quoties fœdus inire volunt, alius quidam medius inter utrumque stans, acuto lapide fetit volam juxta majores digitos eorum qui fœdus ineunt. Deinde sumpto flocco ex utriusque vestimento, inungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum invocans Dionysium & Uraniam. Hoc acto, idem qui fuit sequester fœderis inter amicos contrahendi, vadatur hospitem, aut fortè civem, si cum cive res agitur. Quod fœdus & ipsi, qui amicitiam contraxerunt, servare justum censent. *Herodotus lib.* 3. *& Sabel. lib.* 7. *Enn.* 1.

Romani in fœdere cum Carthaginensibus per lapidem sive per Jovem lapideum (ut ait Macrobius) secundum vetustissimum ritum, Martis Quirinique numinibus additis, jusjurandum præstiterunt. Ritus lapidis fuit hujusmodi: Fecialis Pop. Rom. sumpto in manibus lapide, postquam inter partes de fœdere convenerat, sic loquebatur: Si rectè & sine dolo malo hoc fœdus atque jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præstent: Si aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidit. Nec locutus plura, lapidem G manibus dejicit. Hunc vetustissimum jusjurandi morem apud Rom. *Polybius* fuisse ait *lib.* 3. *& Gellius lib.* 1. *cap.* 21. Quod à Livio & Dionysio prætermissum miratur, *Sabel. libr.* 6. *Enn.* 4.

CUR. CAUSA.

Fœderis in genere.

☞ *Vide Tit. Astutia in fœderibus.*

Fœdus (ut Grammatici putant) ex eo dictum est, quòd in paciscendo victimæ fœdè & crudeliter necabantur; ejusque mors optabatur ei, qui à pace resiliisset. Unde *Virgil. Æneid.* 9.

——*& cæsa jungebant fœdera porca.*

Est autem pactio quædam pop. Rom. jussu ritè per Fecialem certis legibus facta, & jurejurando firmata. Fœderis autem duo facit genera *Proculus in lib.* 7. *D. de cap. & postlim.* alterum æquum, amicitiæ causa factum: alterum iniquum, sive impar, cum pactio fit, ut is populus alterius populi majestatem comiter tueatur: quod adjicitur (inquit) ut intelligatur, non pari jure utrumque populum esse, sed hunc altero superiorem. Livius lib. 34. eadem ponit genera: & illud prius scribit esse, cùm H pares bello, æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent; tunc enim repeti reddique per conventionem res: alterum verò genus esse ait, cùm qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere jungendam coeunt: eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris & victi esse. Sed præter illa duo genera tertium etiam addit, quo bello victis leges dicuntur: ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus mulcari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Sed pinguior Livii partitio est, Proculi limatior: quippè cum Deditii non propriè in fœdere, sed in ditione esse dicantur. *Hotom. de verb. Iur. Livius.* Campanorum aliam conditionem esse, qui non fœdere, sed per ditionem in fidem venissent. Item de Apulis: Ita in societatem eos esse acceptos, ut non æquo fœdere, sed ut in ditione populi Rom. essent.

Tria sunt jungendorum fœderum genera. Unum, quum inter victorem & victum fœdus feriretur: ubi qui vicissent, victis leges darent. Alterum, quo pares bello populi regesque in fœdus coirent, quum res æquo jure & ex commodo utriusque partis

A tis componi solent. Tertium genus, quando ii, qui nunquam hostes fuerunt, ad amicitiam sociali genere jungendam coeunt; ac tum altera partium neque dat leges, neque accipit. *Sabell. lib.* 6. *Enn.* 5.

Societatis. Fœdus cum sociis.

Jurejurando se obstrinxerunt Græci omnes, cùm adversùs copias Xerxis dimicaturi essent, in hæc verba: Vitam libertate pluris non faciam, neque deseram Imperatores: neque vivos, neque mortuos. Sed eos è sociis, qui in prælio occubuerint, omnes sepeliam: & ubi bello victor extitero, etiam barbaros. Ex iis civitatibus, quæ pro Græcia pugnaverint, nullam devastabo: quæ barbari partes sequi maluerunt, omnes decimabo: fanorum, quæ à barbaris incensa & diruta sunt, nullum omninò excitabo; sed finam impietatis barbaricæ extet in omni posteritate monumentum. *Muretus l.* 3. *Var. lect. c.* 10.

Græci, qui cum Cyro adversùs Persas ascenderunt, fœdus percusserunt, mactato tauro, & lupo, & apro, & ariete: in sanguine intingentes, Græci ensem, Barbari hastam, jurejurando addito, neutri alteros se deserturos, sed belli fore socios. Barbari verò insuper juraruntt, se sine fraude ducturos esse. *Suidas.* B

L. Papyrio Cursore & Sp. Carvilio Coss. conjuraverat, quod haud antea acciderat, omne Samnitium nomen. Estque sacrata lege, ut olim, inter eos fœdus ictum. Jovi sacrum fuit caput ejus, qui ad Imperatoris edictum non extemplò affuisset, quive illius injussu deseruisset signa. Ad quadraginta armatorum millia hac lege velut initiata Aquiloniam convenerant. Hic in medio castrorum loco linteis & cratibus cooperto aram statuerunt, ad quam multis victimis cæsis centuriones nudis ensibus circunstabant. Huc sigillatim primores gentis admoti jurare cogebantur, quæ audita ibi visaque essent, nulli se enunciaturos: se deinde familiamque suam cum tota stirpe execrari nisi ad Imperatoris edictum convenirent, citiùsque in acie occumberent, quàm ex acie metu refugerent: aut si fugientem vidissent quenquam, nisi pro hoste habiturì essent. Plerique id sacramenti genus detrectantes, ante aram ipsam confossi perierunt, ut corpora inter victimas projecta, cæteris terrori essent quò minùs id jusjurandum abnuere auderent. Ovius Paccius, homo magnus natu, sacro profuit, qui se ex veteri Samnitium disciplina morem hunc hausisse affirmabat, tam religiosè, nec Caliter à majoribus suis olim conjuratum dictitans, quum illi adimendæ Hetrucis Capuæ consilium cepissent. Igitur primum agmen ex lectissimo quoque sexdecim millia armatorum habuit: ea legio linteata dicta est à tegumento septi, in quo fuerant sacramento admoniti. His arma insignia data, & cristatæ galeæ, ut inter cæteros eminerent. Viginti millium & amplius alter exercitus, non specie corporum, aut belli gloria, sed armatorum habitu linteatæ legioni dispar: atque hoc hominum robore Samnites ad Aquiloniam consederunt. Victi tamen sunt magno prælio à Papyrio, quanto post Papyrium patrem fuerant à nullo victi. *Sabell. l.* 7. *Ennead.* 4.

Claudius Cæsar cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, & vetere Fecialium præfatione adhibita. *Suetonius.*

Reconciliationis, Pacis. Fœdus cum Hostibus.

Desecerant à Romanis Latini, Tarquiniorum exulum suasu. Variis autem cladibus affecti, cùm supplices Rom. Senat. facti essent, ex veteri formula fœdus est cum ipsa gente renovatum, anno quartodecimo, ex quo reges habere Romani desierant. Fœderis formula hæc fuit: Romanis atque omnibus Latinis utribus inter se pax esto, donec cœlum terraque D eundem habebunt statum: neque bellum inferentibus ullis tutos transitus præbento, bellumque gerentibus opem ipsi ferunto totis viribus, spoliorumque & prædæ de hostibus communibus utrimque æquam fortiuntur partem: privatorumque contractuum judicia intra decem dies conficiuntur. His fœderibus nihil addi adimique liceat, nisi Romanis omnibus Latinisque aliquid addendum adimendumque videbitur. *Sabellicus l.* 8. *Enn.* 2.

Jusjurandum primo fœdere inter Romanos & Carthaginenses factum, quod in tabulis æneis inscriptum ædiles in Jovis Capitolini templo diligentissimè asservandum posuerunt, hoc est: Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præstent: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis, in propriis patriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris solus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decciderit. Nec plura loquutus, manu lapidem dejecit. *Polybius l.* 3. Scribit *T. Livius lib.* 1. 3. *Decad.* hunc jurandi modum

Carthaginensibus fuisse. Inducitur etiam Hannibal agnum E læva manu, dextra silicem lapidem retinens: Si falleret, Jovem cæterosque precatus Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset; & secundùm precationem, caput pecudis saxo elisit. *Polybius l.* 3. *Histor.*

Formulam fœderis inter Carthaginenses & Philippum Macedoniæ regem, *Idem l.* 6. tradit.

Perceptione corporis & sanguinis Domini, confirmata fuit pax inter Henricum IV. Imp. & Paschalem Romanorum Pontificem. *Sigebertus.*

Compositis inter Ung. regem Uladislaum & Amurathem rebus omnibus, quum de modo sanciendæ pacis ageretur, Turcæ juramentum in Eucharistiam à rege postulabant. Gregorius Savoreus pertinaciter asseverabat, ne arcana mysteria, quæ nulla ratione, nisi fide tantùm pura, munita sunt, infidelibus proderentur. Conventum tandem utrinque est, ut in Euangelio nostri, illi in Alcorano jurarent. Scriptis igitur eodem argumento, lingua tamen duplici, conditionibus pacis, eas inter se perpetuas inviolatasque fore, sanctissimo utrique juramento asseveraverunt. *Bonfinius l.* 6. *Dec.* 3.

Certaminis. F

Olympiæ in curia Jovis Horcii signum est, manu utraque fulmen tenens, perfidiosis hominibus maximè formidandum. Romani Dium Fidium appellant. Athletæ omnes, eorumque parentes, fratres, magistri gymnasii, super exectis suis testibus verbis conceptis dejerant, nihil se fraudis facturos, quò minùs Olympici ludi ritè fiant. Athletæ ipsi hoc ampliùs jurant, se decem perpetuos menses in ludicram exercitationem propositi certaminis consumpsisse. Jurant præterea judices, pecuniam se nullam capturos, nec qua re adducti quemvis aut probarint, aut improbarint, in vulgus prolaturos. *Pausan. lib.* 5.

Imperii.

Singulari prælio decertaturis Curiatiis Albanis cum Horatiis Rom. fratribus tergeminis, Utrius urbis imperium esset, quemadmodum inter Metium Suffetium Dictatorem, Albanum, & Tullum Hostilium regem Rom. convenerat, fœdus priùs inter Albanos & Romanos sancitur, suis cujusque populi ritibus. Romani ritus hæc formula fuit vetustissima. Fœcialis regem Tull. ita rogavit: Jubesne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente rege: Sagmina, inquit, G te rex posco. Rex ait: Puram tollito. Fœcialis ex arce graminis herbam puram attulit: posteà regem ita rogavit: Rex, facisne me tu regium nuncium pop. Rom. Quiritium? vasa, comitesque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fœcialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad jusjurandum patrandum id est, sanciendum fit fœdus, multisque id verbis peragit. Legibus deinde recitatis: Audi, inquit, Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palàm prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Rom. sic ferito, ut ego hunc hodie ferium: tantòque magis ferito, quantò magis potes, pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua vicissim carmina Albani, suumque jusjurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt. *Liv. Dec.* 1. *lib.* 1.

UBI. IN

Templo. H

Apud Græcos, qui sanctam & inviolabilem præstant fidem in Thesmophoræ, hoc est, legiferæ Ceteris templum descendere, & quibusdam exhibitis sacris deæ purpuram induere; incensisque sacibus, velut præsentibus numinibus, per quidquid est deorum, dejerare solebant. *Alex. ab Alexandro lib.* 4. *c.* 10.

Convivio.

Persæ, inter vinum & epulas, frequentique convivio, uxores, filios, amicosque omnes habent: & tanquam fidei pignora adhibent, ibique inter sacra mensæ, velut apud hospitales deos, fœdera & pacta ineunt; & sic fidem socialem ratam, & mansuræ pacis pignus inviolabile esse putarunt. *Alex. l.* 5. *c.* 3.

Germanos narrat Possidonius in sympositis sese complexos, venas in fronte scindere, & sanguinem defluentem in poculo miscentes bibere, summum amicitiæ terminum attigisse existimantes, cùm sanguinem vicissim inter se degustarint. Post hujusmodi potum, caput unguentis perungunt, & maxi-

A mè rosaceo, vel melino, ne offendantur vini vapore: at si neque hoc conceditur, irino utuntur, vel nardino. *Athen. l. 2. c. 2.* Verùm *Alex. l. 5. c. 3. & Cælius l. 18. cap. 32. A. L.* hoc Carminis tribuunt.

QUANDO.

Dux Romanus à medio diei fœdus non ferit, nec formulam conscribit. *Plutarchus in quæst. Romanis.*

Plutarch. in Galba vita & Dion. l. 57. scribunt, suis temporibus moris fuisse, ut Romani milites Kal. Januarii in nomen Imperatoris jurarent; cùm anteà stante Republ. in Senatus populique Rom. jurare soliti fuissent.

FIDEM SERVARE.

☞ *Consule locum Justitiæ distributivæ. Sed & Injustitiæ, quatenus fidem supra modum servat.*

FIDEM FALLERE.

☞ *Vide locum Injustitiæ, Perfidiæ qualiscunque. Item infra, ubi de fide hæreticis servanda.*

Bassa Turcicus Budæ, adversùs Augerium Busbequium Cæsareum oratorem, de locis, quæ reddere debebat, hoc se dilemmate tuebatur. Aut non promisi me quicquam redditurum, eaque de causa nec debeo: aut si promisi, eo es judicio, ut intelligas, me quod promisi, nec posse nec debere præstare. Mihi enim à Dno meo augendi ejus imperii, non imminuendi partes commissæ: neque mihi licet conditionem ejus facere deteriorem; ejus non meum negotium agitur: quod visum fuerit, petere ab eo poteris, ubi ad eum veneris. *Aug. Busbeq. in Itiner.*

* FIDEM FALLENTES PUNITI.

Ann. Dom. 776. Saxones iterum Carolo Magno rebellarunt, ruptis sacramentis, & obsidibus promissis mentitis: & Eresburgum castrum per mala ingenia & iniqua placita capientes, Francos expulerunt, & castrum destruxerunt. Similiter voluerunt facere de Sigisburdo castello: sed dum per placita Francos, qui intùs erant, non potuissent illudere, sicut fecerant aliàs de Eresburgo, præparaverunt pugnas & machinas, ut castrum vi caperent; Deoque volente, petrarias quas paraverunt, in suo plus damno senserunt, quàm illi de castello. Item præparaverunt clitas ad debellandum per virtutem castrum; sed Dei virtus superavit illorum virtutem. Quadam autem die cùm bellum præpararent adversùs Francos, qui ipsum castrum custodiebant, apparuit manifestò * gloria Dei supra Ecclesiam, C quæ est infra ipsum castrum, videntibus cunctis tam à foris, quàm etiam deintus; ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt, vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium, & agitantium super ipsam Ecclesiam. Cùm hoc signum vidissent Pagani, qui à foris erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti fugere cœperunt ad castra; & omnis multitudo eorum fugam accipiens, alii ab aliis invicem interficiebantur; & qui retrò respiciebant propter pavorem, ab antecedentibus lanceis confodiebantur, & diversos ictus inter se perpessi sunt omnes, & divina ultione * vindicati. At quantum super eos Dei virtus propter salutem Christianorum operata est, nullus narrare potest, & quantò plus illi pavore perterriti fuint, tantò magis Christiani confortati omnipotentem Deum laudabant, qui dignatus est ostendere potentiam suam super servos suos. Ita Francis viriliter resistentibus, Saxones nihil prævaluerunt, & Franci persecuti eos interfecerunt usque ad flumen Lippiam, & cum victoria reversi sunt. *Ex Annal. Franc. Baron. tom. 9. Annal. Eccles. ad ann. Dom. 776. 4.*

FIDEI NIMIA OBSERVANTIA. NIMIUM FIDI.

FIDES SERVATA INDIGNIS.

D *Verum Fides indignis servata, ad Injustitiam referri debeat, dubium est. Cic. in Officiis, fidem latronibus datam non modò non esse servandam ait, sed eum quoque qui servet, injustitiam committere asserit: ea potissimum de causa, quòd latrones omnium sint hostes. An potius si quid constante ratione promiseris, sive latroni sive piratæ, illud sine injustitiæ crimine inficiari non potes? Vt enim si latro cui fides non servetur: at certè tu indignus, qui fidem dignus frangas. Majus enim est, & deterius injusta agere, & fidem fallere, quam injusta pati, & decipi ab aliis. Sin vero affectu potius quàm ratione coactus, aliquid promiseris, ut metu, vel amore, vel ira stimulatus; quia non cum ratione promisisti, ne secundum rationem quidem præstare cogeris. Itaque promissum mente constante observare, justi est: negligere injusti, sive latroni sive piratæ data sit fides. Fides enim in eo cui fiditur, ipsa justitia est: at in eo qui fidit, justitia præconcepta opinio: quam opinionem qui perfidia sua tollit, & erga alios injustus est, & erga seipsum injurius, ut Plato volebat.*

ERGA PATRIAM. PRO PATRIA IMMOLARI.

Convenerant in portu Bœotiæ Aulide Græcorum principes, ut ad evertendam Trojam navigarent. Tanta consecuta est cœli tranquillitas, ut velis uti non possent per tres menses integros. Chaleas vates Dianæ Aulidensi Iphigeniam Agamemnonis F. immolandam respondit. Agamemnon pentinùs à Menelao fratre, filiam prætextu nuptiarum cum Achille accersit. Achilles indignatus, quòd ad cædem virginis suo nomine essent abusi, in concilio defendit eam, ne perimatur: sed vincitur suffragiis. Itaque cùm res ad summum tumultum spectare videretur, reliquo exercitu postulante puellam, contrà Achillem cum universis depugnare parato, ipsa ultrò mutata sententia, suadet matri, satius esse speciosam oppetere mortem, quàm ob suam unius vitam, aut tot principes in certaminis periculum vocari, aut rem tantam omitti. Ducta igitur ad aram deæ, ipsa quidem sublata est in Tauricam regionem, at ejus loco cerva supposita est. *Euripides in Iphigenia Aulide.*

Scribit Suidas, Erechthei regis Atheniensium filias παρθένους F excellenter appellatas, sex fuisse numero, Protogeniam, Pandoram, Procrin, Creusam, Orithyam, Chthoniam. Ex iis Protogenia & Pandora pro regionis salute jugulandas se obtulerunt, ingruente Bœotio bello contra Eumolpum. Immolatas verò ferunt in pago Hyacintho: unde & παρθένοι, virgines Hyacinthides sunt cognominatæ; sic uti Phanodemus testatum reliquit, atque item Phrynichus. *Cælius l. 13. c. 7. A. L.*

Cùm Epimenides Cretensis Atticam terram ob odia quædam antiqua humano expiatam sanguine assereret, cundantibus cæteris, Cratinus Atheniensis adolescens seipsum pro patria immolandum obtulit. Aristodemus amator, comes mortis esse voluit. *Athenæus lib. 13. cap. 27. Dipnosoph. ex Neanthe Cyziceno.*

SIBI MANUS INFERRE.

HERCULES Eurystheum fugiens, ad Ceycem Trachiniorum regem amicum sibi hominem venit. Eo mortuo, Eurystheus ejus sibi liberos tradi postulabat. Trachinius verò cùm propter opum tenuitatem bellum sustinere se posse diffideret, Athenas eos ad Theseum misit. Cùm igitur ii supplicum habitu venissent, Peloponnesios ferunt, quòd Theseus petenti G Eurystheo pueros dedere constantissimè recusasset, Athenienses bellum intulisse: Oraculum monuisse, victoriam in spe fore, si se unus ex Herculis liberis ultrò devovisset. Ibi Macaria Herculis ex Dejanira filia, cùm sibi mortem conscivisset, & victoriæ compotes Athenienses, & fonti in Marathone nomen dedit. *Pausanias in Atticis.* Athenienses Macariæ tumulum floribus & coronis decorantes, dicebant: Βάλλ' εἰς μακαρίαν, id est, Mitte in Macariam. Hinc ortum adagium, his qui sese per virtutem in periculum sponte demitterent; deinde de quovis piaculo dici cœptum. *Erasmus in Proverbiis.*

Cùm Thebani duce Hercule cum Orchomeniis prælium commissuri essent, oraculum redditum est, ejus belli victoriam penes eos fore, quorum se civis, qui generis claritate præstaret, sibiipsi manus consciscere. Erat Antipœnus natalium dignitate Thebanorum simum suorum civium facilè princeps, sed adduci is non poterat, ut libenter mortem pro populi salute oppeteret. At ejus filiæ Androclea & Alcis alacriter se devoverunt. Necem itaque cùm sibi ipsæ consciissent, publicos promeritæ sunt honores, in æde Dianæ Euclææ sepultæ. H *Pausanias in Bœoticis.*

Argivis duce Polynice Thebas obsidentibus, Tiresias vates cæcus, & senex, jam vocatus à Creonte fratre Jocastæ, de jussu & consilio Eteoclis, fratris Polynicis, cui regno cedere nolebat, prædixit victoriam penes Thebanos futuram, si Menœceus filius Creontis victima Marti offerretur. Pater Creon id vaticinium iniquissimo tulit animo, & filium pro patriæ salute omninò non exhibendum putavit. Adolescens autem animo excelso prædituus, patriam juvandam censuit. Ascendens itaque turrim altam, gutturi gladium infixit. *Euripides in Phœnissis.* De eo sic *Statius lib. sexto decimo:*

—insignemque animam mucrone corusco,
Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri,
Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, & mœnia lustrat,
Seque super medias acies nondum ense remisso
Iecit, & in sævos cadere est conatus Achivos.

THEMISTOCLES Atheniensis exul, posteaquam ad Xerxem confugit, Magnesiæ sedes habens, magnique cultus donis, atque

A atque pari in honore, ac primores Persarum, habitus, perdiu vitam egit securam, quòd superiorum provinciarum rex distractus negotiis, non admodùm attenderet animum ad res Græciæ. Ut verò Ægypti rebellio adjutoribus Atheniensibus, navesque Græcorum usque ad Cyprum & Ciliciam provectæ, dominaníque Cimon mari regem ad occurrendum Græcis, & ad eorum reprimendum adversùs se incrementum revocaverunt: jamque delectus habebatur, duces dimittebantur, & Magnesiam ad Themistoclem cum mandatis regis veniebant nuncii, ut res Græciæ susciperet, præstaretque promissa: neque ira inflammatus in cives suos ulla est, neque tantis honoribus & potentia incitatus ad bellum, sed & effectum rei fortassis in expedito non ratus esse, præsertim quòd haberet ea tempestate duces Græcia inclytos, & mirifica esset Cimonis in rebus Græcorum gerendis felicitas; maximè autem robore gloriæ rerum gestarum, & illorum trophæorum, optimè deliberavit vitæ convenientem colophonem imponere. Itaque sacris operatus, convocatosque complexus amicos, hau- B sto, ut celebris fama est, taurino sanguine; ut aliqui volunt, veneno præsentaneo sumpto, annos natus quinque & sexaginta, quos ferè in republica administranda & imperio transegit, Magnesiæ vitam cum morte commutavit, & in foro magnificè sepultus est. Causa & ratione mortis intellecta, regem opinionem de eo majorem habuisse, amicosque ejus & familiares perpetua benignitate memorant complexum. *Plutarchus in Themistocle.*

M. ORTHO victus à Vitellio ad Bebricum prope Cremonam, cùm milites mirificè affecti, mori pro illo statuissent, & odio Vitellii flagrarent, constanti vultu quoquoversus aciem circumferens: Hunc, inquit, commilitones diem illo, quo me Imperatorem primùm creastis, fausti orem existimo: cùm ita in me propensos vos cernam, & ita me vobis charum. Verùm nolite bono me fraudare majore, honestè pro tot & talibus civibus ut vitam deponam. Si Romano imperio dignus fui, profundenda mihi est pro patria anima. Scio ego, victoriam non stabilem neque solidam hostibus esse. Nunciantur legiones Mysia non multorum dierum iter abesse. Jam descendunt ad mare Adriaticum Asia, Syria, Ægyptus, Legiones, quæ cum C Judæis belligerantur, nobiscum faciunt. Senatus apud nos est, etiam liberi adversariorum atque conjuges. At non est cum Annibale, neque Pyrrho, neque Cimbris, nobis de Italia bellum; sed cum civibus bellantes, utrique patriam & victores & victi offendimus. Quippe res lætæ victoris lædunt illam. Credite quæso, honestiùs mori me, quàm imperare posse. Neque enim video, quid victoria mea tantum profectura populo Romano sit, quantum si vitam meam ipse pro pace & concordia, & ne alterum diem Italia aspiciat talem, profundam. Sic fatus, insistentibusque adversari & ipsum excitare renisus, amicis & senatoribus præsentibus facessere jussit. Brevi post tumultum & strepitum ad fores audivit: Milites enim digredientibus exitium denunciabant senatoribus, nisi permansissent, sed deserto abiissent principe. Itaque metuens illis iterum prodiit, militesque non jam piecabundus, neque leni, sed truci vultu & cum flamma tumultuantes contuitus, abscedere jussit: qui & abscesserunt & diffugerunt. Sero jam diei sitiit, haustoque pauxillo aquæ, cùm duos haberet pugiones, utriusque aciem longo spatio exploravit. Tum altero reddito, alterum sub axilla retinens, servos accersit; benignèque pecu- D niam iis, uni ampliùs, alteri minùs, largitus est: non sicut profundens aliena, sed pro merito & modum servans accuratè. Quibus dimotis, reliquum jam noctis dedit se quieti, ut stertentem cubicularii sentirent. Prima luce accito liberto, qui cum curaverat, receptum senatorum, quid factum iis esset, præcepit explorare. Qui ubi renunciavit, omnibus subministrata, quibus cuique fuisset opus: I ergo, inquit, tu, & militibus te ostende, nisi perire illorum manibus velis, quasi operam tuam ad mortem mihi præbueris. Quo digresso, in pugionem directum, quem pectori ambabus manibus subjecit, supernè incubuit. Sensit hactenùs, ut unum gemitum ederet, dolorem: & illi, qui foris erant, eum exaudiverunt. Reliquit non inferiores neque pauciores, qui mortem ipsius laudibus ferrent, quàm qui infectarentur vitam. Nam cum nihilo Nerone modestiùs vixisset, mortuus est generosius. *Plutarch. in Othone.*

PRÆCIPITEM DARE.

ANCHURUS Midæ regis filius, cùm audiret ex oraculi responso, terræ hiatum nequaquam coituram, qui multos homines quotidie absorbere circa Celænam Phrygiæ oppidum solebat, nisi res eò pretiosissimas conjicerent, nihil in vita hu- E mana pretiosius anima existimans, datis genitori complexibus, & Timotheæ uxori, equum ascendit, inque hiatum terræ pro salute patriæ se præcipitem dedit. *Callisthenes l. 2. Metamorphoseon, Plutarchus Parall.*

C. Genutio & L. Æmilio Coss. Romæ specus ingens medio foro vasto repentè hiatu patuit: incertum, motu terræ, an vi aliqua occultiore. Ea vorago quum multo terræ ingestu expleri nequivisset, canebant vates, id, quo plurimùm Rom. nomen posset, ipsi loco dicandum, si rem Romanam incolumem vellent. Quærebatur, quid esset illud, quo plus Pop. R. posset: quum M. Curtius juvenis militari virtute nobilis, castigata hominum inscitia, viris armisque Romanos præcipuè pollere ostendit. Equo inde sedens, nunc Capitolium & alia templa tuens, nunc manus ad deos inferos porrigens, pro patriæ incolumitate se devovit; nec majus ullum carmen effatus, cum bellatore equo armatus sese in subjectam dejecit specum. Dona & fruges desuper à multitudine virorum promiscuè & mulierum congestæ. Estque lacus ipse Curtius ab hoc, ut quidam crediderunt, appellatus: in qua Livius fuit sententia, potiùs quàm ab antiquo illo T. Tacii equite, qui vi F hostium in lacum impulsus, equo ad suos enatavit. *Ex Valerio Maximo l. 5. c. 6. & Livio l. 7. Decadis 1. Sab. lib. 3. Enn. 4.*

DEVOVERE SE PRO EXERCITU.

Cùm Dorienses bellum Atheniensibus inferrent, quòd exules Peloponnensium, atque inter alios Melanthum Messenium suscepissent, oraculo accepto, fore ut urbem caperent, si Regi hostium pepercissent, edictum proposuerunt, ut in prælio omnes à Codro Melanthi F. rege Atheniensium abstinerent: At ille (nam erat vespera) sarmentarii habitu progressus à fossa, ligna secabat. Venerant autem etiam Peloponnesii lignatum. Cùm his Codrus pugnam incipit, ita ut extenta falce vulneribus eos afficeret. Illi falcibus eum confecerunt: atque cum gaudio discesserunt, quasi strenuo facto facinore. At Athenienses clamore sublato (quid enim moram traherent impleto vaticinio?) ita & robore majore in prælium procedunt: & ante pugnam misso præcone, corpus Regis ad sepeliendum repetebant. Peloponnesii re cognita, in fugam versi sunt. Athenienses parta victoria, Codro decreverunt divinos honores. *Polyænus l. 1. & Valerius, l. 5. c. 7. & Socrates l. 2. de Thracibus:* qui cum Thracibus hoc bellum fuisse asserit, & *Plutarchus in Viris, & Sabellicus l. 8. Enneadis 1.* Alii sic narrant: Codro Athenis regnante, cùm Laconia sterilitate laboraret, visum esse Lacedæmoniis, Athenas expugnatum ire: pulsíque Atticæ incolis, inter sese partiri agros. Consultoque oraculo, & responso accepto, potituros urbe, nisi regem occidissent, expeditionem suscipiunt. Sed Cleomenem Delphum, qui oraculum audisset, id misisse Atheniensibus. Quo Codrus cognito, progressus ex urbe, sarmenta collegerit: quem cùm duo rogarent, Quis esset? altero falce occiso, ab altero fuerit interfectus. *Suidas.* Unde *Virg. Ecloga 5.* Aut jurgia Codri. *August. 18. de Civitate Dei, c. 19.*

T. MANLIUS TORQUATUS, & P. DECIUS Coss. contra Latinos duos exercitus ducebant. Ibi utrique Consuli eadem per quietem observata species, viri statura augustiore humana habituque majore dicentis, ex una acie Imperatorem diis Manibus, ex altera exercitum deberi, utrius exercitus Imperator se super hostium catervas devovisset, ejus populi victoriam fore. Conferunt inter se Consules nocturnum illud oraculum, victi- H masque uterque cædit ad iram deum averruncandam. Hic quum aruspicum responsa conceptæ animo religioni responderent, inter se comparant, ut utrius cornu priùs inclinasset, sese pro patria devoveret. Cæterùm ne voluntariæ mortis causa ignoraretur, effetque proinde ducis interitus militibus terrori, Legatos & Centuriones occultè consilii hujus faciunt participes. Haud procul radicibus Vesuvii prælium commissum in Campania. Manlius dexterum cornu, lævum Decius tenuit. Qui ubi suos laborare animadvertit, solemni carmine præeunte Pontifice, sese devovit, rituque Gabino cinctus, in medios hostes irruens, periit. *Livius lib. 8. Val. Max. l. 5. cap. 6.*

Romanis contra Samnites & Gallos ad Clusium pugnantibus, P. Decius cum Q. Fabio Maximo consul, ubi neque precibus, neque minis sisti posse fugam vidit, paternum secutus exemplum, M. Livio pontifice, quem ad hos casus penes se in acie habuit, præfari carmen jusso, se & hostium legiones diis Manibus devovit. Devotus Gabino ritu cinctus, qua confertissima erat Gallorum acies, bellatorem equum immisit: ibi

A infestis telis undique petitus, extemplò concidit. Dueis interitus, qui terrori alioqui militibus esse solet, mirum dictu inclinatam aciem à fuga revocavit. Hortari Pontifex ac testari, vicisse Rom. fato consulis, defunctos esse omni periculo, Gallos & Samnites Telluri & diis Manibus devotos jam pugnæ immemores alienata mente astare, irent, devotamque aciem sternerent. Ita pugna non solùm ea parte instaurata est, sed cœptus etiam sterni hostium globus. *Sab. l. 7. En. 4. Liv. l. 20.*

DECIUM Imp. bello contra Scythas arbitrabatur Pomponius Lætus se pro futura victoria devovisse, cùm id Decii antiquitùs facere consueverint. Nam prioribus sæculis, alter bello Hetrusco, alter bello Latino, constanti animo inter confertissimos hostes se pro victoria patriæ devoventes occubuere. Jornandes scribit, in ipso congressu ictum sagitta Decium filium decessisse, & patrem, vel ut cædem filii ulciscereturvel ut morte sua finem dolori inveniret, in confertissimos se immisisse hostes, & in voraginem paludis delatum nusquam apparuisse, & diis ante congressum immolasse, ad Arbitrum Mœsiæ urbem. Inde factum loco nomen, qui Ara Decii appellatur. *Cuspinianus A. D.*

B

FINES AMPLIARE PER NEFAS.

Philæni fratres Carthaginenses, præter conditum citiùs quàm par esset, domo egressi, Cyrenæorum duobus adolescentibus longè ulteriore, quàm quisquam sperasset, spatio occurrerunt. Convenerat autem sic utrinque populus, ut quo sibi invicem loco occurrissent, is finium terminus esset. Jurgio orto, Cyrenæi conditionem illis proponunt: Fines eos quantumvis perfidia acquisitos sibi placere, si Philæni terra sese ibi obrui paterentur. At hi, ut perfidiam nova fide obliterarent, ibi se vivos defodi permisere. *Val. l. 5. c. 6.*

Lacedæmonii primam honesti partem reipub. rationib. tribuentes, neque discunt, neque sciunt quicquam justi, nisi quod amplificaturum Spartam putant. Qua ipsa fidei persuasione falsa dementati, erga alios injurii esse non verentur. *Plutarch. in Agesilao.*

ERGA REGES, DUCES PRÆTER honestatem fidei. Idque vel OBEDIENDO JUSSIS.

C

Primus Tartarorum rex Changuista, alii Changium vocant, ad periclitandas vires imperii, septem Principum, qui Mongali dicuntur, ex iis qui universæ genti ante constitutum regnum præfuerant, filios parentum manu jussit interfici. Facessunt illi imperium, etsi acerbum & atrox, cùm multitudinis metu, tum religione adacti: credere enim vulgò, cœli numen ejusmodi regni initiis interfuisse; non regem, sed deum ipsum violari arbitrantes, si illius dicto minùs obtemperassent. *Sab. l. 6. En. 9.*

Gens Chasiorum, suos principes ita vereri & observare, & in jussis eorum exequendis adeò alacris esse dicitur, ut si tantùm supercilio magistratus innuerit, statim de rupibus se præcipitent, in ensES irruant, in undas desiliant, in ignem se conjiciant: & ad eos missi, quos eorum principes occisos volunt, ut hospites & amici adeunt, & aut se habere quod eis dicant, aut legatos venire simulantes, sæpè dominorum suorum adversarios pugionibus occidunt, nulla difficultatis & explorati supplicii ratione habita, etiamsi alterum non occiderint. *Nicetas l. 2. de Imperio Isaaci Angeli.*

D

Assassini gens Persica in Syria, ad montem Atilibanum ad 60. millia, nihil antiquius habebant, quàm Regi, quem sua lingua Senem vocabant, obedire. Itaque cùm illuc publica fide accepta profectus esset Henricus, Campaniæ Comes, & ab Antiochia Tyrum versus iter haberet, horum populorum princeps, ut hunc obediendi morem Henrico præsente declararet, ostensis in altæ turris summitate aliquot hominibus, unum nominatim evocavit: & is nulla mora facta, in ipsorum conspectu à turri se dimisit, qui ex casu detritus, statim vitam obivit. Et cùm alios etiam vocare vellet, Comitis precibus, qui totus admiratione simul atque horrore obstupuerat, vix retentus fuit: adeò populi illi sola religione moti, vitæ suæ prodigi sunt. *Fulg. l. 1. c. 1. & Egnat. l. 5. c. 6.*

☞ *Vide Tit. Actus in regno astruendo.*

COMMORIENDO.

Apud Æthiopes Meron incolentes ferunt consuetudinis esse, amicos ultrò in regis morte vita defungi, existimantes eum interitum gloriosum, veræque amicitiæ testem. Ideò haud facile est, Æthiopum regibus adversùs talem amicorum consensum insidias parare. *Diodorus lib. 3. cap. 1. & Strabo lib. 17.*

E

Celtiberi nefas esse ducebant, prælio superesse, cùm cæsus esset, pro cujus salute spiritum devoverant. Quorum animi præstantia laudanda, quòd & patriæ incolumitatem fortiter tuebantur, & fidem duci constanter præstabant. *Valer. Max. l. 2. de Instit. antiq. Tacitus l. 44.*

Apud Germanos turpe & in omni vita infame, suo duci superstitem in prælio esse, nisi victor is ex acie decessisset. *Sabel. l. 2. Ennead. 6.*

GEORGIUS BRITTIUS Malescensis præfectus, in Zamatræ insulæ portum anno 1521. advectus, hostium multitudine circumventus periit. Nondum omnes sciebant, ducem intra urbem cecidisse. Ludovicus Raposus, & Petrus Villosus, viri, qui multa decora virtutis militaris obierant, cum in ipso litore percepissent, Brittium occisum fuisse, dixerunt, sibi nullo modo tantam turpitudinem subeundam esse, ut ex prælio, in quo dux occubisset, evaderent. Itaque in hostes ruunt, neque cædendi finem faciunt, donec vulneribus concisi & debilitati conciderent. *Osorius lib. 12. Rerum Em.*

F

CONDOLENDO.

MAGNUS Norvegiæ rex, ab Haraldo Hyberno Erici Danorum regis ope instructo captus, attonsus, oculis ac genitalibus spoliatus, ne aut regnum resumeret, aut ultorem procrearet; interrogatur à suis, An quem infelicitatis suæ cuperet habere consortem? Paucos ea re delectati respondit. Inventus est tamen inter armigeros, qui facie & corporis habitu simillimus esset Magno: qui ob Regis sui charitatem, ut cui videnti similis fuisset, cæco quoque non dissimilis haberetur, idem spontè pati voluit. *Crantzius l. 5. Norvegiæ, cap. 6.*

ERGA AMICOS NIMIUM FIDI.

Nimiùm in amicorum studiis remissus & infractus Agesilaus rex Spartanorum, ut Euripidis Pegasus:

Metu trepidavit accessit plus quàm satis.

Quibus cùm in calamitatibus propensiùs, quàm decebat, succurreret, consentire videbatur eorum flagitiis. Phæbidam in crimen adductum, quòd Cadmiam sine ulla auctoritate publica occupasset, servavit, talia ratus ultro facienda. Sphodrias de facinore scelesto & atroci accersitus (nam in Athenienfium fines amicorum & sociorum incursionem fecerat) contendendo pervicit, precibus filii amatoriis inflexus, ut liberaretur: atque epistola ejus ad dynastam quendam circumfertur: Niciam, si nihil admisit, noxæ exime: sin quid admisit, mihi eum exime: omninò autem hominem noxæ exime. *Plut. in præceptis Politicis.*

G

Idem deposcens ab Iceriensi Care quendam amicum, scripsit ei: Niciam, si nihil commisit fraudis, dimitte: sin fraudem commisit, nobis dimitte: omninò verò dimitte. *Plutarch. in Apophthegmatibus.*

ERGA LIBEROS.

ALFONSUS III. Asturum Rex Garsiam filium regno inhiantem in vincula conjecerat: Semena regina, filii quàm mariti studiosior, gravibus tributis popularium animos à rege abalienavit, & filios reliquos ad conspirandum contra patrem inducit. Itaque Alfonsus regno se abdicavit, & Garsiam regem declaravit. *Rodericus Toletanus l. 4. Rerum Hispanicarum cap. 19.*

ERGA UXORES NIMIUN FIDI. Puta. OBEDIENDO. γυναικοκρατούμενοι.

H

JORAM Rex Judæorum, filia Achab in uxorem ducta, plus illecebris uxoriis, quàm Domini Prophetis paruit. 4. *Regum* 8. & 2. *Paralip.* 21.

Syphax Rex Sophonisbæ uxori parens, seipsum perdit.

☞ *Vide Titulum, Transfuga.*

HERODES ANTIPAS Magni F. uxori Herodiadi plus justo obediens, in exilium à Cajo Imperatore pellitur.

☞ *Vide Tit. Invidiæ.*

ATHAULFUS Vestgothorum Rex, post obitum Alarici Romà denuò spoliavit, Imperatore Honorio nihil resistere audente, cujus & germanam Gallam Placidam, Theodosii Imperatoris ex altera uxore filiam, captivam abduxit: quam tamen ob generis nobilitatem, formæque pulchritudinem, apud Forum Cornelii suo matrimonio copulavit, Honoriumque Augustum quamvis opibus exhausturn, quasi cognatum grato animo prosequutus est. Proposuerat sibi, Roma funditus eversa, alteram ædificare urbem, Gothiam nomine, & Athaulfos ex se denominari reges, non Augustos. Verùm conjugis Placidæ prudentia in tantum mutavit sententiam, ut Romanæ dignitatis, cujus nequi-

A nequiret esse initiator, fore optaverit restitutor. Itaque Honorio Imperatori libertatem & pacem concessit, Romamque & totam Italiam summa liberalitate restituit, aut potiùs donavit. Inde constituta cum Honorio pace, Italiaque relicta, in Gallias acceleravit, inimicos Romani Imperii Svevos, Alanos, Francos, Vandalos, qui tunc eas transito Rheno juxta Stilicionis machinationem occupaverant, expugnaturus. Quibus in Hispaniam ejectis, Galliam quoque Honorio, Placidæ suasu, concessit, & in Hispaniam movit. Paulò post prodigalitatis suæ pœnitens, ingratissimo existente Honorio, à Gothis proceribus, ut dilapidator Imperii, cæsus est. *Ioanni. Magnus libro 5. hist. Gothorum.*

AMANDO.

Ad illos, qui ad cœnam magnam vocati fuerunt, & non iverunt. Ille, qui uxorem duxit, non rogavit se excusatam haberi, sed ait: Non possum venire; plus uxoris illecebris, quàm magni illius Imperatoris benignitati tribuens. *Luc. 14.*

M. ANTONIUS III. vir Cleopatræ Ægyptiæ illecebris dementatus, Octavia uxore formosissima & honestissima neglecta, se B suosque perdidit. Ad bellum profectus Parthicum, cùm Cleopatræ desiderio, ut cum illa hybernaret, id citò conficere studet, machinas ad oppugnandas urbes necessarias Parthis corrumpendas reliquit: quarum penuria Phraata urbem frustra oppugnavit, & tandem re infecta, summo cum periculo vix reduxit exercitum. Jam regi Medorum dissensio cum Partha Phraote intercessit, exorta quidem, ut fama est, ex præda Romana: sed quæ in suspicionem Medum, & metum, ne regno spoliaretur, adduxit. Unde Antonium per legatos accersivit, eique auxilium ostendit copiarum suarum. Antonius igitur magna inflatus spe (nam quæ una res ad debellandos Parthos videbatur ei defuisse, quòd minùs ab equitatu & sagittariis firmus venisset, eam accedere sibi putabat danti magis quàm accipienti beneficium) paravit iterum per Armeniam pergere, conventoque ad Araxem amnem Medorum bellum movere. Cæterùm Cleopatræ irretitus amoribus, & metuens, ne mortem sibi conscisceret Cleopatra, Alexandriam regreditur, Medumque in æstatis horam rejecit. Interim ad bellum civile contra Octavium ingenti classe instructa, Cleopatram secum duxit, C quamvis præcipui ejus amici hoc ei dissuaderent. Ad Actium quoque, ut cum Cæsare classe pugnaret, auctor fuit Cleopatra, quæ ipsa res Antonium evertit, quando legionibus Romanis, quibus præcipuè nitebatur Antonius, in terra quiescentibus, cum Phœnicibus & Ægyptiis navicularibus contra Romanam classem dimicavit. At Cleopatra, ut expeditiùs fugere posset, mari quàm terra pugnare maluit. *Plutarchus in Antonii vita.*

ERGA MARITOS. PRÆTER HONESTATEM OBSEQUENDO.

☞ *Vt si corpore quæstum facere, vel idololatriam committere maritus jubeat.*

COMMORIENDO.

Vetustissimi scriptores Halcionem referunt, Ceyci marito non passam esse supervivere, sed in mare se dedisse præcipitem. Addunt fabulæ, versos in Halcyones aves, sic charas Thetidi, ut quoties nidificent, maxima fit in mari & cœlo tranquillitas: idque statis quotannis diebus contingere, qui ea de causa Halcyonii vocentur: hoc à diis tribui pietati uxoris in conjugem.

EVADNE, ex petra alta desiliens in rogum mariti Capanei, D spectante id sanè patre Iphide, qui à cœpto eam prohibere non poterat, inquit *apud Euripid. in Supplicibus*:

——— ἀλλὰ τῆς

Εὐκλείας χάριν

Ἐ'ρῶ, ὁρμᾶσα,

Τᾶς δ' ἀπὸ πέτρας

Πηδήσασα πυρὸς ἔσω.

Σώματ' αἰθέρι φλογμῷ

Πόσει συμμίξασα φίλον,

Χρῶτα χρωτὶ κέλας θερμᾷ,

Πρόσφορείας νέξω θαλάμους

Σὲ τὸν θανόντ' ἔσοτ' ἐμᾷ

Προδοῦσα ψυχᾷ κᾷ γᾶς.

Ἴτω φῶς, γάμοι τε.

Sed famam propter bonam hinc tuam ab hac petra, saliens in ignem corpusque ardente flamma marito commiscens charum, corpus corpori propè ponens, ad Proserpinæ veniam thalamo: te mortuum nunquam mea deserens vita, super terra. Valeat lux, & nuptiæ.

LAODAMIA ubi nuncium accepisset, Protesilaum virum ad Trojam ab Hectore interfectum esse, ipsa se occidit.

Apud Indos, quæ Mulieres virorum sunt amantes & pudicæ, conflictantur inter se & pugnant de igne. Quæ obtinuit, B ut rogo unà cum marito imponatur, eam beatam canunt cæteræ. *Plutarchus, an in quo vitium, ei nihil desit ad infeliciter vivendum.*

Apud Catharos Indos irroboraverat mos, ut cum defunctis viris deflagrarent uxores. Natum id ex veneficii crimine, quo sublatus à quapiam dicebatur maritus. *Celius lib. 18. c. 31. Antiq. Lect.*

PANTHEA Abradatæ Susorum regis uxor, pro ejus salute universis effusis opibus, occisum voluntaria morte prosecuta est. *Xenophon. lib. 7. Paedia.*

BANEANES sancti homines Narsinguensium Indorum, semel in vita uxorem ducunt. Illis defunctis, uxores prope illorum cadavera vivæ sepeliuntur. Reliquæ, quæ aliis hominibus nubunt, post virorum mortem vivæ in rogum cum magno suorum comitatu, & multis cantibus atque laudibus inferuntur. *Osorius lib. 4. Rerum Em.*

Rex Narsinguensium Indorum unam præcipuè uxorem, quam præter cæteras eximiam habeat, minimè ducit: maximum tamen concubinarum numerum habet, quæ è Principum genere deliguntur. Cùm Rex moritur, pyra è lignis odoratissimis incenditur, in quam regium cadaver infertur. Ibi concubinæ omnes, & omnes illius familiares, & quicunque illi F ministraverant, aut magnum apud illum nomen obtinuerant, in rogum similiter inferuntur. Tanto autem studio, ut crementur, ad rogum accelerant, ut appareat, eas in ea mortis, qua Regem suum prosequuntur, societate summum decus positum arbitrati. *Osorius lib. 4. Rerum Em.*

PORCIA Catonis filia, M. Bruti uxor, victo & perempto marito, mori statuit: ferrum est ablatum, ipsa se prunis ardentibus in os ingestis suffocavit. De ea *Martialis Epigrammatum libro primo*:

Conjugis audisset fatum cùm Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram, fatis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas:
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

APICATA uxor Sejani damnata non fuit, audita tamen liberorum morte, eorumque in scalis corpora intuita, digressa inde libellum composuit, in quo continebatur, quomodo Drusus esset interfectus, accusatioque Livillæ uxoris ejus, propter quam Sejanus vir ipsi infensius nuncium remiserat: eo ad Tiberium libello misso, vita seipsam privavit. Quo Tiberius lecto, reque, ut acta esset, perspecta, reliquos omnes Drusianæ cædis reos, & ipsam Livillam interfecit. *Dion. lib. 58.*

PAULINA Senecæ conjux cum marito mori voluit, & scissæ sunt illi venæ: sed à Nerone inhibita est, retentaque in vita, & obligata brachia, pressusque sanguis vel invitæ, vel ignaræ. Vixit paucis annis post, ore ac membris ita pallentibus, ut ostentui esset, corporisque habitu apertissimè conjugalem pietatem testante. *Lud. Viv. lib. 2. de fem. Christ.*

Apud Vvinedos Germanos laudabilis mulier esse judicatur, quæ propria manu sibi mortem infert, ut in una strue pariter ardeat cum viro suo. *Bonifacius Episc. Moguntin. in ep.*

BLANCA Rubea Patavina, uxor Baptistæ à Porta, in præsidium Bassiani municipii Patavini cum viro profecta, anno Christi 1253. cùm Acciolinus tyrannus, Patavio omisso, omnem belli vim in Bassianum convertisset, & proditione etiam cepisset, atque in ipsis portis Baptistam obtruncasset: Blanca quoque armis induta fortiter pugnans, à militibus circumventa, captiva ad tyrannum ducitur. Is forma ejus (quam augebant arma) motus, primò blanditiis, mox etiam vi adortus, eam corrumpere tentavit. Illa cùm alia ratione non posset, per fenestram se dedit præcipitem, semianimis ex casu H vix tandem curatur. Curatam tyrannus denuò aggreditur: & quia consentire nolebat, servorum opera ligatam constupravit. Illa dolorem dissimulans, impetravit ab amicis, ut ad levandum mœrorem & desiderium, aperto sepulchro mariti fœtidum cadaver semel tantùm aspicere posset. Morem illi gerunt. Aperto itaque sepulchro, ubi jacebat, illa magno emisso ejulatu, in sepulchrum sese præcipitavit: simulque tanta violentia lapidem impulit, ut unà rueret, & Blancæ cervicem frangeret. Sic pudicitiam suam ulta, ex voto suo, commune cum marito sepulchrum obtinuit. *Bernard. Scardeonus lib. 3. Hist. Patavinæ.*

Anno 1501. cùm Jo. Menesius Tusitanorum dux Mauritanos in fugam egisset, Lusitani equites quinque, septem Mauros amissis, eique conspicati, cum quinque mulieribus latenter fugientes, eos insequuntur. Mauri tres equos confodiunt, & omnes

A omnes Lusitanos convulnerant. Unus ex Mauris, cùm in extremo jam vitæ discrimine fortissimè pugnaret, sponsæ, quæ erat in illo mulierum comitatu, tantum dolorem attulit, ut maxima voce exclamaret, se sociam sponso futuram: adeòque in hostium gladios ruens, equitem unum, qui pedes cum mulieris sponso dimicabat, summa vi corripit; & adeò arctè complectitur, ut se expedire non posset: sic ut vix aliorum inventu, qui jam reliquos occiderant, fuerit liberatus. *Osorius lib.2. Rerum Emmanuelis.*

IN LEGIBUS NIMIA FIDES.

Legum rigida & obstinata observatio.

☞ *Ὁ νόμος ἄψυχος δίκαιος ἐστι, & universalis præceptio, quæ τὸ δικαιοῦν, id est, æquitate moderanda venit. τὸ δικαιοῦν autem in viro bono reperitur, atque adeò in judice justo, qui veluti ἔμψυχος νόμος, & leges obscuras interpretatur, ambiguas distinguit, genus in species suas deducit, circumstantias perpendit: denique id agit, quod ratio justa dictat. Qui ergo æquitatem hanc repudiant, & legem severè urgent, videntur quidem*
B *legum rigidi custodes esse: revera tamen injusti sunt, non quidem νομικοὶ, ἀλλὰ λογικοὶ, servant enim leges: sed quia rationem interim, qua leges explicari debebant, negligunt; summum jus in summam convertunt injuriam. Exempla pete* ex Tit. Inconstantiæ Legislatorum, qui in proprias leges peccarunt. Tit. Lex.

Vasthi regina, legi Persarum, quæ uxoribus in virorum conspectum prodire vetat, nimium pertinaciter parens, repudiata fuit. *Esth.2.*

Cinna & Marius arma infesta urbi admoverant, & Janiculum occuparant. Octavius consul interim non tantùm corrumpebat imperitia res, quantùm legum anxia cura parùm tempestivè ea, quæ erant ex usu, negligebat. Quippè qui monentibus multis, servos ut manumitteret, negavit servos se ea donaturum civitate, qua C. Marium leges defendens arceret. Postquam Metellus, illius Metelli filius, qui res gesserat in Africa, & per Marium actus in exilium fuerat, ad urbem venit, qui Octavio longè dux melior habebatur, deserto Octavio, milites contulerunt se ad illum, orantes, suscipere impe-
C rium, & urbem tueretur. Nam si expertum & promptum essent ducem nacti, impigrè dimicaturos se, & victoriam reportaturos. Verùm stomachante Metello, atque ad consulem eos ablegante, concesserunt ad hostes. Ac Metellus quoque urbe deplorata cessit. *Plut. in Mario.*

Cervus implicato cornu zonæ Basilii Macedonis Imperatoris, eum sublimem præcipitaturus fuerat, nisi accurrens satelles, zona dissecta Imp. servasset. Basilius hominem occidi jussit, quòd capitale esset, contra Imper. ferrum stringere. *Cedrenus, & Zonaras.*

IN PROMISSIS NIMIA FIDES.

Herodes Judæorum rex Tetrarcha Galilææ, cum in solemni convivio, puellæ Herodiadis filiæ saltatrici jurasset, se daturum ei quodcunque petiisset, & illa caput Joannis Baptistæ flagitasset: stultus rex promissum retractare non ausus, viri sanctissimi sanguine sese contaminavit. Dignus, qui cum incesta conjuge extremo affectus sit supplicio, & per exquisitissimas utergue pœnas discruciatus. *Sab. l.4. c.5. ex Marci 6.*

Promiserat Leo Isaurus Nebræis duobus Astrologis, si potiretur imperio, se voto illorum satisfacturum. Voti reus, petentibus illis Divorum statuas exscindi, paruit, & iconolatras
D horrendis affecit suppliciis. *Zonaras & Cusp. A. D.*

FIDEM EXIGERE.

☞ *Consule locos Fidei date, quatenus exactionem habet præcedentem.*

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, patria excedens, jurejurando cives suos adegit, ne priùs leges suas mutarent, quàm ipse reversus esset. Voluntario igitur exilio in Cretam abiens, illic mortuus, cineres suos in mare projici jussit: ne fortè illis in patriam relatis, cives se sacramento solutos arbitrati, saluberrimas leges abrogare vellent. *Plut. in Lycurg.*

Jolaum, quem dilectum ab Hercule fuisse putant, nunc quoque colunt & venerantur Phocenses, amorisque jusjurandum & fidem super sepulchrum ejus exigunt ab amasiis. *Plutarchus sermone Amatorio.*

M. Pomponius Trib. plebis L. Manlio Imperioso Dictatori ob acerbè habitum delectum belli Henrici causa, diem dixit. T. Manlius F. quem ob ingenii tarditatem reus ablegarat, cultro succinctus, omnibus inscius, sub lucem Romam abiit, & à porta Pomponii Tribuni domum petiit: ibi janitorem nunciare Tribuno jussit, T. Manlium Lucii F. ad januam stare, qui ejus colloquium peteret. Introductus, tanquam patri iratus aliquid E occulti in reum criminis afferret, confestim omnibus abire jussis, incautum Tribunum stricto cultro invasit, atque jacenti incubans: Nisi, inquit, in ea verba, quæ voluero, juraveris, te à patris accusatione destiturum, ego te hic, Pomponi, jacentem transfigam. Ad ea pavidus Tribunus, periculo adactus, in Manlii verba juravit: eique dimisso præstitit Tribunus fidem, quam coactus dederat. *Valer. Max. lib.5. c.4. & Sabel. lib.3. Enn. 4. & Cic. lib.3. Offic.*

Fama est, inter Venetos celebrem admodùm fuisse quempiam, qui in faciendis vadimoniis studio non mediocri teneretur. Is in venatores incidens, qui irretitum haberent lupum, & illis rogantibus, velletne pro lupo vadem se constituere, ut illata ab eo damna persolveret, sic è retibus belluam dimissuros: fidejubere se confessus est. Emissum deinde lupum, magnum equarum armentum agitantem, nullo notatum cauterio, ad fidejussoris stabulum adduxisse, recepta gratia, equabus lupi notam inussisse, & inde lupiferas (λυκοφόρους) nominasse, velocitate magis quàm pulchritudine præstantes. *Strabo lib.5.*

Jonius prætorio præfectus cùm Alarico Gotho Honorii Imp. literas temerè ostendisset, quibus sese Honorius nullo pa- F cto præfecturam Alarico concessurum profitebatur (cujus oblatione delinitus Alaricus arma positurus fuerat) iisque irritatus ille rectà Romam peteret: Ravennam regressus, ut se omni suspicione criminis (hoc est, arcani proditi) liberaret, Honorium sacramento adegit, se nunquam pacem cum Alarico facturum: atque ipse tacto ejus capite, eodem se jurejurando devinxit, atque ab omnibus, qui cum potestate erant, idem exegit. *Sigon. de occid. Imp.*

Constantinus Ducas Imper. Romanus, cùm ex Eudoxia uxore tres mares suscepisset, moriens à populo sigillatim juramentum exegit, nullum Imperatorem, quàm filios, facturum. *Volat. lib.23. Anthrop.*

Evenus Scotorum regum primus fidei juramentum à suis exegit, suorum subditorum manu aut pede tacto. *Boeth. lib.2.*

Ludovicum Lucemburgium, Magistrum equitum, Ludovicus XI. Gallorum rex quavis ratione reconciliaturus, ne ad Carolum Burgundum apertè deficeret, veniam tentatæ defectionis dederat. Uxore mortua (quæ eadem soror reginæ, lacrymis affinitateque, & virum ne omninò deficeret, & regem ut iræ moderaretur, permoverat) renovato metu, ne suis quidem sa- G tis fidebat, quos in se jam solicitari ab rege sentiebat. A rege jussus in colloquium descendere, venturum se respondit, si Andibus in D. Laudiæde tacta cruce sacra, jurejurando fidem daret. Id se facturum ulli mortalium negavit rex. Itaque per legatos res gesta: sed ita, ut tandem Lucemburgius Carolo sese dedens, ab illo regi Gallo traditus, & Luretiæ ultimo supplicio fuerit affectus. *Æmilius lib.10.*

FIDEM REPUDIARE.

☞ *Vide Tit. Non credere; cujus veluti accidens est, Fidem, quæ datur, suspectam habere.*

FIDES PRINCIPUM, DUCUM, MAGISTRATUUM, IMPERATORUM, ERGA SUOS.

☞ *Consule Tit. Fortitudinis bellicæ Imperatorum & Ducum. Item, Reges boni.*

ERGA QUOS. ERGA LEGES, VEL Magistratus superiores.

☞ *Sub Tit. Fidei erga patriam, in legum observatione.*

CONSILIARIOS.

H

Cùm Miecislao seniore Polonorum principe defuncto, Poloni regnum Lesco Albo nepoti ex Casimiro fratre ea conditione offerrent, si Govoricium Ravitum Palatinum Sendomiriensem relegaret: Lescus regnum potiùs repudiare, quàm Govoricium consiliarium fidissimum deserere maluit. *Cromerus lib.7.*

PAUPERES.

Alfonsus Aragonum & Siciliæ rex potentissimus, die Veneris pauperibus tantùm jus dixit, ut tantæ majestatis præsentia (quàm pauperrimo cuique adire facile diceret) abstinerent potentiores à tenuiorum injuriis, ac jus suum cuique & habere & possidere liceret. *Panorm. lib.1. de gestis Alfonsi.*

NAUFRAGOS.

Alfonsus Aragonius Siciliæ rex, cùm vidisset naufragos auxilium implorantes, suos adhortatus est, ut illico subvenirent. Qui dum pertimescerent periculum maris tam horrendum, dicentes, melius esse unam, quàm universas triremes perdium iti,

A iri, rex ipsemet solvit prætoriam navem: Satius esse, inquiens, unà cum sociis viris fortissimis occumbere, quàm illos videre ante oculos extrema pati. *Panormit. libro secundo de Rebus gestis Alfonsi.*

MORTUOS.

Nicias Atheniensis Corinthiis prælio victis, cùm moris esset, eorum qui vicissent, trophæum, ubi victoria parta esset, sibi erigere (qui honor his adimebatur, qui pracriò aliquid ab hoste petiissent) aspernatus est id decus, ut duorum civium cadavera, quibus hostes potiti fuerant, sepulturæ mandarentur. *Sabellicus lib.5. c.2.*

IN QUO, QUID BONI, QUOMODO præstiterint Subditis. Puta, Devovendo Se se Pro Suis.

Moysis quantus fuerit erga populum Israeliticum amor, ex eo colligi potest, quòd cùm illi vitulum aureum conflassent, & adorassent Deum, his verbis allocutus est: Ingens quidem flagitium admisit hic populus, dum sibi deos aureos fecit: sed tu aut ei peccatum condona, aut me de libro, quem scripsisti, dele. Tanta pietate Moysis Deus motus, populo ignovit. *Ex.32.* Cum denunciante Domino, finem vitæ sibi jam instare sciret, non intermissa populi cura, à Domino petiit, B ut aliquem virum cordatum Reip. præficeret, ne essent tanquam oves sine pastore. Dominus igitur Josue Nun F. elegit. *Num.27.*

Davidis regis probitas & justitia eò major visa est, quòd crudelitatem & impietatem Saul secuta est. Illius erga populum charitas cùm in multis, tum in eo præcipuè apparuit, quòd postquam ob illegitimam simul & arrogantem plebis enumerationem puniendus, de tribus malis unum optare cogeretur, neque famem in terram suam, neque cædem suorum ab inimicis inferendam elegerit, cùm sibi & frumenti satis suppetere posset, ut regi, & multorum armis tectus, necem minùs ipse timeret. Elegit autem communem tùm sibi quàm reliquis omnibus metum pestilentiam: imò quàm ipse potiùs, qui deliquerat, quàm in aliis desævituram sperarer. At ubi vidit, se prætermisso, populum vastari, cædique Angelo percutiente, exclamat: Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me & contra domum patris mei. Qua pietate divinam placavit iram, sibique & iis qui superfuerant, veniam impetravit, tam justus in pœna eligenda, quàm promptus in
C perferenda. Sed cùm neque populus à culpa credatur alienus, hic corporis, ille animi dolorem passus est: minùs doliturus, si soli contigisset. *Marulus lib.3. c.2. & Sabel. lib.5. cap.2. ex 2. Reg.24.*

M. Antonius cum exercitum è Parthorum regione magno cum periculo reduceret, manus in cœlum tendens, deos precatus est: Si qua priores fortunæ suæ serenitates divina invidia maneret, in se ut ea verteret: reliquo exercitui incolumitatem tribuerent, & victoriam. *Plut. in Antonio.*

JUS DICENDO SUBDITIS.

Samuel judex Israelitarum, circumibat Bethel, Galgala & Masphat, ut facilem omnibus ad se veniendi potestatem faceret. Pro populo assiduè Deum precabatur. *Libro 1. Regum cap.7. & 12.*

Lacedæmonii, eos quos mortis supplicio dignos putarent, noctu, non die plectere consueverunt. Causas verò judices occlusi, neminemque videntes, judicabant, ne objecta sanum judicium impedirent. *Alex. ab Alex. lib.3. c.5.* Anaxandridas cuidam ab eo scisciranti, Quamobrem seniores apud Lacedæmonios plures dies sumerent ad cognoscendum in cau-
D sis capitalibus, & si quis fuerit absolutus, nihil minùs sit obnoxius legi? Ideò, inquit, pluribus diebus cognoscunt, quoniam si in capitis discrimine erraverint, non est corrigendi consilii potestas. Oportet autem à causa liberatum, obnoxium manere legibus: quod fieri potest, ut secundùm eandem legem liceat aliquid rectius de reo statuere. Hoc temperamento provisum est, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens: qui quamvis errore judicum sit absolutus, potest eadem lege denuò conveniri, pœnasque dare legibus. *Plut. in Lacon. apophth.*

Alexander Magnus initio cum judicia capitalia discepteret, fama tenet, manum eum alteri auri, dum diceret accusator, admovere solitum, reo ut alteram integram & intactam servaret à calumniis. *Plut. in Alexandro.*

Prætores ac judices publicarum quæstionum aliis imperium illud mandare non poterant: nec in judicando legis acerbitati aut lenitati detrahere, aut addere quicquam; sed uno verbo, imò una litera sententiam ferebant, puta A. C. N. L. Absolvo, Condemno, Non liquet: idque factum est, ne ab hominis E cujusqu.um, sed ab ipsius legis arbitrio fama, vita, mors, fortunæ denique civium penderent. *Ioann. Bodinus Meth. histor. cap.6.*

VITAM CONSERVANDO.

Cùm post mortem Eurysthei regis Peloponnesi, qui Herculem, ejusque posteros Heraclidas summo prosequebatur odio, Heraclidæ in patriam redire conarentur, Tegeatæ cum Achæis & Jonibus Peloponnesum tum incolentibus se ipsis opposuerunt. Hyllus Heraclidarum dux, qui rem ad conflictum deventuram habebat, utrique exercitui parcens, monomachia controversiam finire voluit: cumque Echeno Tegeatarum rege & duce congressus, pro exercitu suo vitam amisit. *Herodotus lib.9.*

Pelopidas Thebanus uxori, quæ ipsum ad bellum proficiscentem rogabat muliebriter, ut servaret seipsum: Alii, inquit, ut istud faciant, nonendi sunt: Nam princeps ac dux hortandus est potiùs, ut servet cives. *Plut. in Græcor. apophth.*

P. Scipionis Africani Majoris memorabilis vox illa meritò E est à multis celebrata, qua is sæpè in imperio usus dicitur: Malle se unum civem servare, quàm mille hostes perdere. *Sabellicus lib.8. c.2.*

Petronius Gravius, centurio octavæ legionis, sub Cæsare Gallico bello militans, Gorgoniæ portas tantùm per ab hostili protexit impetu, dum sociis ad fugam tempus daretur. Revertentibus demum iisdem ad subsidium, vulneribus deficiens, Ite nunc, ait, incolumes. *Ravisius.*

M. Cato Uticæ reliquos omnes nunciata clade jussit per mare sibi consulere. Quibus, ut conscenderunt, secundùm cursum precatus, domum est regressus, ubi se ipse interemit: Quare docuit, pro quibus suscipere timorem, & quæ contemnere deberet rector. *Plut. ad Principem indoctum.*

Alfonsus Aragonius Neapolis & Siciliæ rex, cùm aliquando navali prælio desperatis rebus, posset ex onerariis navibus in triremium suarum classem facilè evadere: primus tamen in hostium navem transiliit, seque dedidit, ratus, id quod posteà effectu probatum est, ejus jam capti auctoritatem, ad suorum militum salutem & liberationem plurimùm valituram. Cùm trajiceret flumen Vulturnum cum exercitu, vidisseque G equitem Butardum, ex acie Rodolphi Perusini, aquæ vi pertractum in vitæ periculum, cum nemo suppetias ferret, non perterritus tanto periculo, in rapidissimum flumen equo concitato se conjecit, hominemque semianimem in ripam pertraxit. *Panormitan. lib.3. de rebus gestis Alfonsi.*

Joannes II. Lusitaniæ rex, audiens voluerem esse, quæ rostro pectus dilacerat, ut puellos serpentium morsibus exanimatos sanguine suo profuso in vitam revocet: ejusdem volucris imaginem suis insignibus adjungendam curavit, ut ostenderet, se esse paratum pro suorum salute sanguinem suum profundere *Osorius lib.1. Rerum Emmanuelis.*

Carolus V. Imp. bello Africano Algerensi, non ex animi sententia successurum prælium cernens, Malle se dixit unum Christianum servare, quàm mille Mauros, Turcas, Pœnosve occidere. *Guilielmus Zenocarus in vita ejus lib.3.*

COMMORIENDO SUBDITIS.

Potuit Æmilius Paulus Cannensi acie, tametsi vulneratus, vivus tamen, & omnis culpæ expers, in tutum evadere; sed legionibus cæsis, noluit, repudiato equo, qui illi ad fugam à Lentulo deferebatur. Quinimò saxo sedens: Macte, inquit, H virtute ista, C. Corneli, abi, nuncia publicè partibus, ut urbem Romam muniant, firmentque præsidiis ante hostis adventum: meque, ut decet, finito inter meos milites expirare. Mira Imperatoris charitas, qui non potuit patriæ, quæ superstes erat, non esse memor, paulò post expiraturus. Commilitones certè relinquere noluit. *Sabel. lib.5. cap.2. ex Livio lib.2. Decad.3.*

PERICULIS NON OBJICIENDO SUOS.

Leosthenes Athenas Lamiæcum præcipites in bellum egit, atque indignante Phocione, quæsivit per ludibrium: Quidnam suo ad mortem adeò multorum imperio Reipublicæ profuisset: Non parùm verò, inquit, quòd cives in propriis sepulchris sunt humati. *Plut. in Phocione.*

Q. Fab. Minutius, hortante filio, ut locum idoneum paucorum jactura caperet: Visne, inquit, tu ex illis paucis esse? Admonens, non esse boni ducis, ullius militis incolumitatem contemnere. *Frontinus lib.4. c.6.*

L. Lucullus Imp. adversus Mithridatem ad direptionem captæ urbis incitantibus, dixit: Se malle unum militem Romanum

A manum ex hostium manibus eripere, quàm universas hostium fortunas sibi vendicare. *Plut. in Lucullo.*

NON EXPELLENDO.

Cùm Lescus Albus non aliter Poloniæ principatum obtinere posset, quàm si Govoricum consiliarium suum fidissimum relegaret: cunctantem ille ultrò hortatus est, ne sua causa tanta commoda negligeret: Malè enim sibi suisque posteris Lescum consulturum esse, si propter se unum seniculum, & pauculos atque eos incertos dies vitæ suæ, in aliam familiam transferri principatum sineret: Libenter se pro ejus commodis atque honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet, atque cuperet. Commovit Lescum ea Govoricii oratio, ut illicò negaret, tanti se facere principatum, ut ejus adipiscendi gratia tam fidum consiliarium proderet, immerentemque magistratu simul & patria ejiceret. Proinde alium sibi Cracoviensés proceres istis legibus quærerent: se in paterna ditione sua quieturum potius, quàm per scelus principatu potiturum. *Cromerus lib.7.*

B

EXCIDIUM ADVERTENDO.

Joachin Judæorum rege occiso, cum Nabuchodonosor Joachin ejus filium regem fecisset, mox veritus, ne rebellaret, contra eum exercitum misisset: Joachin civitatem noluit propter se perdi; sed seipsum cum suis, regiis ducibus dedit, & Babylonem adductus est. In ejus locum suffectus Sedecias patruus. *4. Regum 24. & Josephus lib. 10. c.9.*

LIBERTATI RESTITUENDO.

Q. Fabius Maximus Dictator sine patrum Auctoritate cum Annibale de captivorum permutatione transegerat, ut utri plures captivos acciperent, quàm darent, in singula militum capita, bina pondo argenti & selibras penderent. Quum aliquanto igitur major foret Romanorum numerus, essetque summa quædam argenti ex publico data: quòd de ea re tardiùs populus rogaretur, filio Romam misso, agrum qui intactus ab hoste fuerat, vendidit, fidemque publicam privato exolvit impendio. *Livius lib.2. Decadis 1. Sabellicus lib.1. Enneadis quintæ.*

Cùm Publ. Scipio Africanus major in Africam trajecisset, C & Carthaginenses bello defessi, aliquot legatos ad eum de pace misissent: dimisit eos ita, ne ampliùs redirent, nisi Terentium senatorem Romanum, quem captivum habebant, secum adduxissent. Deductum igitur ab eis Terentium, lateri suo assidere jussit: atque ita Carthaginensium legatos audivit, ac pacem, quam petebant, dedit. Usus enim, quæ virum Romanum decebat, gravitate, egit, ut Terentius eodem die Carthaginensium captivos, atque pro tribunali sedens, petitæ à Carthaginensibus pacis arbiter esset. *Fulgosus lib.6. c.4.*

Gensericus Vandalorum rex, ab Eudoxia Augusta, in ultionem mariti Valentiniani III. Imperatoris, ab Maximo occisi, ex Africa accersitus, Romam invadit, capit, diripit, spoliat. Maximus tertio tyrannidis mense, à militibus interemptus, à populo membratim discerptus, in Tiberim abjiciur. Quum Genericus decimoquarto die urbe, abducta secum Eudoxia, egrederetur: miles ejus in Campaniam incursat, Capuam evertit, Neapolim expugnat, Nolam obsidet. Nolæ Episcopus divus Paulinus, cùm multi ex Campania in Africam captivi transferrentur à Vandalis, ipse sese pro filio viduæ ultrò obtulit genero regis Vandalorum, filium unicum viduæ redemit, sese in servitutem dicavit: coluit hortos domino diligenter: idem industriam suam admiranti, & ad colloquium sæpiùs admittenti prædixit mortem regis. Gener socerum certiorem facit: Turbatus rex, accersit Paulinum, in somnis sibi visum refert: rogat, Quidnam sciret. Episcopum se fatetur Paulinus, libertate donatur, & facultas petendi, quicquid velit: omnes suæ civitatis captivos impetravit. *Aventinus lib.2. Annalium Bojorum, A.D.*

D

INFAMIAM AVERTENDO.

Luctatius Catulus collega C. Marii, cum Cimbrorum audacia ad Athesim castra defecerent milites, ac signa relinquerent, & is nullis admonitionibus eos sistere posset, aquilam tolli jussit, cursuque ad primum agmen contendit abeuntium, ducemque se præbuit: quo suam faceret, non patriæ maculam: neque fugere, sed sequentes ducem viderentur abire. *Plutarch. in Mario.*

MUNERA DANDO.

Cato senior, cum cuidam militum argenti libram distribuisset, ait: Satius esse, multos habentes argentum, quàm paucos habentes aurum, è militia domum redire. Nam duces non auro, sed gloria auctos, è provinciis redire oportere. *Plutarchus in Rom. apophtheg.* E

DIGNITATES CONFERENDO.

Alexander Severus Imperator, ex Arcena Syriæ civitate ob affinitatem Severi principis, ratione Juliæ uxoris, puer à Senatu Cæsar factus, honores ambitiosis aut quærentibus minimè dedit; sed modestis, quos potiùs rogare oporteret. *Volateranus lib.23. Anthropologiæ.*

Constantinus Imp. in magistratibus, & conferendis dignitatibus diligens æstimator fuit: quandoquidem neminem in Senatum legebat, nisi bonis esset disciplinis honestè institutus. *Cuspinianus A.D.*

BONA CONSERVANDO.

Jurasse Fridericum III. Imperatorem, nunquam compertum est, nisi cùm Aquisgrani & Romæ coronatus est. Idque juramentum constantissimè tenuit. Cùm enim jurejurando promisisset Electoribus, bona Imperii nullatenùs se alienaturum: maluit avarus negando, quàm concedendo perjurus videri. Itaque petenti Borsio Marchioni Estensi ducatum Mutinæ, tamdiu restitit, donec monstratum est, eum ducatum, qui sub annuo tributo concederetur, lucri magis quàm alienationis speciem habere: præsertim cum Mutina & Rhegium in potestate sua non essent. *Joan. Peregrinus. Petrosel. in Convivialibus quæst.* F

Neapolitani, cum in honorem Alfonsi Aragonii arcum triumphalem ædificare vellent, & quò satis spatii haberent, Nicolai Mariæ Buzuti magnanimi & strenui equitis domum diruere conarentur: rex stultum civium facinus incusavit, dicens: Non tanti se facere ædificia ventis & tempestatibus exposita, ut ob id veteris amici (cujus operam strenuam non semel in bello expertus esset) domum distruere cupiat. *Panorm. lib.1. de Rebus gestis Alfonsi.*

RECONCILIANDO SUBDITOS.

Ubaldus Eugubinæ urbis Episcopus, cum cives suos in seditionem versos verbis placare non potuisset, & jam ad arma esset concursum: inermis inter tela strictosque mucrones irrumpens, humi prono corpore sese prostravit; nec exsurrexit, donec illi sanctum jacere rati, mutua odia in unius miserationem convertissent. Jacens diremit pugnam, qui stans nequiverat inhibere. *Marul. lib.3. c.6.*

NON DESERENDO SUBDITOS.

Ulysses, quamvis elapsus ex antro Polyphemi, noluit tamen abire relictis sociis in antro, *apud Eurip. in Cycople* inquiens:

Ἀλλ' οὐ δίκαιον, πολιτῶν τοὺς ἐμοὺς φίλους,
Ξυὼ οἷς ἅπερ ἦλθον δόξαν, σωθῆναι μόνον.

Sed non æquum, relinquentem meos amicos, cum quibus veni huc, servari solum.

Eustathius Thessalonicensis Episcopus, in obsidione Thessalonica noluit grege suo deserto fugere: sed in urbe tanquam carcere inclusus, confirmando & consolando cives plurimùm juvit: urbe denique à Teutonicis militibus expugnata, à ducibus exercitus, qui Conti Latinè dicuntur, edicta impetravit, quibus ærumnæ civium lenirentur. *Nicetas lib.1. sub Imperio Andronici Comneni.*

INTERCEDENDO PRO SUBDITIS.

Esther regina ad regem Assuerum injussa veniens, magno se exposuit periculo, ut Judæos populares suos servaret. *Esther. cap.4. & 5.*

Divus Lupus, Trecacensium Episcopus, habitu indutus Pontificali, cum multitudine Cleri, Attilæ à pugna Catalaunica reliquas Galliæ urbes eversuro advenienti sit obvius: & facta salutatione, interrogat Attilam, Quisnam esset, qui tot regibus devictis, cuncta vi sibi subderet? Cui Atila: Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. Qua voce Lupus territus: Quis, inquit, mortalium flagello Dei veri resistet, quò minus in omnes, quos volet, sæviat? Veni igitur, ut dicis, Dei mei flagellum, & quo libet, proficiscere: omnia tibi, ut Dei ministro, me non repugnante, parebunt. Jussit inde portas urbis reserari, ac Atilam (frænum equi honoris causa manu tenens) summa veneratione introduxit. Qui fide & humanitate ductus Episcopi, sive Dei voluntate, sine ullius cæde & detrimento, per urbem mediam cum omnibus copiis progressus, altera urbis parte egressus est. *Olaus cap.9. in Atila.* H

Dum divus Severinus Bathaviæ habitaret, Gibuldus rex Alemannorum, visurus, ut simulabat, Severinum, Bathaviam cum exercitu contendit. Ne urbs tanti regis adventu atteretur, Severinus it obviam Cibuldo: & ipsum tanta constantia allocutus est, ut rex ejus auctoritate permotus, iter inceptum reliquerit: abiensque, optionem postulandi Severino, quicquid velit, ultrò obtulerit. Severinus nihil aliud ab opulento Rege petiit, quàm ut gentem suam ab Romanorum infestatione cohiberet, pacem cum Romanis, qui tum Noricum tenebant, servaret, captivis condonaret. Promisit rex, se omnia facturum, domumque rediit. *Aventinus lib.2. Annal. Bojorum. A.D.*

A

COMMISERANDO, CONDOLENDO.

Joram Judæorum rex, in dira obscœnaque fame, cùm ne à suis quidem partubus mulieres abstinerent, fame adactæ, rei attocitate domesticaque suorum clade perculsus, scidit sibi vestes à pectore, regium nomen pertæsus: publicè testatus, multò impensiùs se dolere, quòd civitas hostibus circumsessa inedia conficeretur, quàm quòd ipse cum suo regno periclitaretur. *Sabel. lib.8. c.2.*

Cùm Guesnam venisset Uladislaus Jagello Poloniæ Rex, & commeatum, seu stationem, ut vocant vulgò, à collegio ejus basilicæ petiisset, nec impetrasset: fertur pignorasse facultates adscriptorum Ecclesiæ. Sed cùm eam ob rem sacris civitati interdictum esset, reprehensus à regina Hedwige Uladislaus, pignora capta reddi jussit. Ibi illa suspirans: Pignora quidem reddemus, inquit, agrestibus, cæterùm lacrymas quis eis reddet? Pium reginæ dictum, & sempiterna memoria dignum. *Cromerus lib.15.* B

FIDES ERGA EOS QUI POLITICA & inæquali, sed privata necessitudine, inter se devincuntur. Huc.

Præceptorum Erga Discipulos Fides.

☞ *Consule Tit. Fidei in Locato & Conducto, inter Præceptores & Discipulos. Hi enim parentes quidam videntur esse.*

Aristoteles quàm pius in Alexandrum discipulum fuerit, vel ex eo maximè liquet, cùm ad Antipatrum scribens, hominem obnixè rogat, ut Alexandrum jam Macedoniæ regem moneat, ne tot victoriis elatus, quot in Asia adeptus fuerat, Deum contemnat, cujus nutu omnia moventur. Qui fortassis diutiùs in regno tot laboribus parto vixisset, si præceptoris sapientissimi monitis obtemperavisset, nec coli pro Hammonis filio, & more Persarum adorari voluisset. *Plutina lib.1. de Optimo cive ex Plut.* C

Cùm multi & præstantes viri & assidui affectarentur Alcibiadem, cæteros liquebat rapi, & duci formæ ejus venustate: at Socratis amor, magna comprobatio pueri virtutis fuit, & indolis. Quam cùm emicare & elucere animadverteret in specie, suspectum autem habere divitias ejus insidiantem, & occupantem eum assentationibus, & obsequiis cœtum, hinc civium, hinc externorum atque sociorum, institit obviam ire, ejusque curam agere; ne fructum suum, sicut planta, vitiaret, & abjiceret in flore. Nullum enim quenquam fortuna his, quæ dicuntur bona, usque adeò circumsepsit, cinxitque foris ad præludendum philosophiæ aculeis & sermonibus libertate atque stimulo conditis aditum, ut mox à tyrocinio delinitus Alcibiades circumjectus fuit ab adulatoribus, ne audiret monentem & erudientem. Vi tamen ingenii cognovit Socratem, eumque divitibus repulsis & claris amatoribus, admisit. Brevi inde usus familiaritate ejus, cùm differentem audivisset, eum qui non effeminatam voluptatem venabatur, amatorem, nec oscula vel contractationes affectabat: sed situm animi nudabat, inanemque ac stolidam retundebat insolentiam: D

Gallus velut servus premens alam horruit:

Ac Socratis arbitratus est conatum, reverà deorum esse ministerium ad curam & salutem adolescentum. Despiciens autem semetipsum, suspiciens illum, exosculans benevolentiam ejus, reverens virtutis, improbans simulacrum amoris, vel, ut ait Plato, mutuum imbibit amorem: ut mirarentur omnes, cùm cœnitare apud Socratem eum, cum illo se exercere, illius uti contubernio, reliquis amatoribus cernerent austerum esse & difficilem, nonnullis etiam insultantem. Quamvis igitur Socrates in amore multos haberet rivales, solus tamen Alcibiadis ob ingenii ejus præstantiam potens erat; quòd oratione sua manus ei injiceret, & cor versaret, excieretque lacrymas. Interim adulatoribus, varias objicientibus illecebras, sese permittens, elabebatur Socrati: atque reverà hic ut fugitivum venabatur eum, qui ipsum verebatur & formidabat unum, reliquos contemnebat. At Cleanthes eum, quem amabat, ab se quidem teneri dicebat auribus, rivalibus verò suis multas præbere ansas, quas apprehendere ipse nollet, ventrem significans, panem & gulam. *Plutarch. in ejus vita, & Plato in Sympesio, & Alcibiade priore.* E

Apollonius Alabandensis dicendi magister, cum mercede doceret, tam pius erat in suos discipulos, ut neminem, quem judicabat non posse oratorem evadere, operam apud se perdere sineret: sed dimittebat, ad quamcumquè artem putaret esset aptum. *Cic. lib.1. de Oratore.*

Anneus Cornutus Leptites, tanta pietate & humanitate in discipulos, in Rhetorica erudiendos, quos susceperat, fuit ut ea causa plurimos ad se discipulos, non minùs quàm doctrina alliceret. *Suidas.*

Caroli I. Hungarorum regis filiorum Pædagogi, regios filios corporum suorum objectu à Feliciani Zaachi regis familiariss. proditoria cæde conservarunt. Is enim cùm opibus & dignitate crevisset, tyrannidem invadere decreverat. Itaque regem de more solus adiens, stricto ense ferit. Rex ictu evitato profugit. Mox reginæ quatuor digitos abscidit. Pueros regios autem pædagogi suorum objectu corporum vix protexere: donec tumultu excitati satellites, patricidam membratim discerpsere. *Bonfinius lib.9. Dec.2.* F

DISCIPULORUM ERGA PRÆCEPTORES.

☞ *Consule Tit. Fidei in Locato & Conducto, inter Præceptores & Discipulos. Item Tit. Grati discipuli pro institutione.*

Honorando. Quatenus Præceptores suos Discipuli

Observant.

Socraticus Æschines Atheniensis, miræ indolis à puero, laborumque patientissimus, adeò præceptoris studiosus, ut nunquam ab eo discederet. Unde Socratis vox illa memorabilis: Solus Æschines novit Socratem honorare. Fuit eloquentiæ studiosus, ac Demosthenis æmulus. *Sabellicus lib.2. Enneadis 4. ex Laertii lib.2.*

Theodosius Imperator, cùm Arsenio Romanæ Ecclesiæ diacono Arcadium & Honorium filios erudiendos commendasset, non ut Imp. sed ut vulgares, plagis etiam coercendos: vidissetque aliquando Arsenium stantem, filios sedentes, gravissimè eam rem tulit. *Marulus lib.9. c.1. & Volateranus lib. 13. c.4. Anthropologiæ.* G

Alexander Magnus Aristotelem initio suspexit, & charum habuit, non secùs, ut ipse dictitabat, quàm parentem, quòd hujus beneficio viveret, illius honestè viveret: habuit post suspectionem, non quòd illum ulla in re læderet; sed familiaritas pristinum ardorem & dilectionem non retinens, notam prætulit alienationis. *Plut. in Alex.*

Non contradicunt.

Pharisæorum secta apud Judæos præceptores ita veneratur, ut iis monentibus, obloqui nemo audeat. Contrà faciunt Sadducæi. *Josephus lib.18. c.2.*

Modestè resistunt.

Chrysippus in plerisque dissentiebat à Cleanthe præceptore, & à Zenone. Quoties verò in Cleanthem differendo inveheretur, modestissimè id faciebat, adeò ut crebrò diceret:

Ἐγὼ δ' τ' ἄλλα μαχάρ, σὺ πάντ' ἀνὴρ,
Πλὴν εἰς πλαίθλιν, τοῦτο δ' οὐκ δύδαιμονῶ.

Præceptori plurimùm tribuebat: & tamen veritate coactus ab eo interdum dissentire cogebatur. *Laertius lib.7.* H

Carneades Stoicorum & Chrysippi libris perlectis, modicè & verecundè illis reluctabatur, adeò ut sæpius diceret: Nisi Chrysippus esset, ego non essem. *Laertius lib.4.*

Laudant. Encomiis celebrant.

M. Tul. Cicero quàm pius erga A. Licinium Archiam poetam Antiochenum præceptorem suum fuerit, colliges ex oratione quam pro eo habuit, ut civem Heracliensem, atque adeò Romanum quoque esse ostenderet; & quamvis civis non esset, dignum tamen, qui propter virtutes suas civitate donaretur.

Dionysius Areopagita in Hierotheum magistrum suum librum composuit, ἀεὶ δ' μαχάριν Ἱεροθέν. *Gyraldus Dialogo 5. Poet. histor.*

Officiis honorificis prosequuntur.

Achilles, quo inter Græcos vix fuit vir & armis constantior & consilio major, Phœnicem præceptorem suum ab Agamemnone